UNIVERSITÀ DI ROMA
ISTITUTO DI
STORIA DELLA MEDICINA

BIBLIOTECA

COLLOCAZIONE:
Fondo Sliv. 395/2

N° DI INVENTARIO
7826

Digitized by Google

Digitized by Google

INSTITUTIONES

MEDICINAE PRACTICAE

QUAS

AD USUM JUVENTUTIS

DIGESSIT

PETRUS ALOYSIUS VALENTINI

IN ROMANA UNIVERSITATE PROFESSOR

IN NOSOCOMIIS S. SPIRITUS S. MARIAE DEMENTIUM
S. JOANNIS NATIONIS FLORENTINAE

MEDICUS PRIMARIUS

ET IN EORUM PRIMO PHYSIOLOGIAE LECTOR
AC PLURIUM ACADEMIARUM SOCIUS

DONAZIONE "SOLIVETTI"

VOL. II.

DE INFLAMMATIONIBUS

ROMAE
Ex typographia Contedini 1828.
Ad Thermas Agrippae

Digitized by Google

CLASSIS SECUNDA

INFLAMMATIONES

GENERALIA DE INFLAMMATIONIBUS

§. 204. Pars aliqua corporis inflammari dicitur, si praeternaturaliter caleat, rubeat, tumeat, doleat, et functionum perturbationem, maxime secretionis patiatur. A Graecis inflammatio φλεγμονὴ aut φλόγωσις nuncupatur. Rubor, qui aut a vehementiori, et copiosiori sanguinis in affectam partem affluxu, aut a sanguinis oxyginio ditioris colore vividiore dependet, est major vel minor, superficialis vel profundus juxta inflammationis naturam, et gradum. Ubi cum inflammatione increscit, interdum ambitus pallidior, et subflavescens evadit. Tumor etiam prout varia est morbi species, gradus, et partis affectae natura, est major vel minor, circumscriptus vel diffusus, superficialis vel profundus, aliquando mollis, plerumque durus. Amplior

est in inflammatis organis, in quibus glandulae adsunt, et tela cellularis abundat; minor in partibus fibrosis; interdum non percipitur, si periostium, aut nervorum velamenta inflammentur. Calor ad trigesimum tertium gradum thermometri Reaumurii saepe ascendit. Subinde vero vehementissimus est, ut si inflammatio vergat ad gangraenam, aut partes affectae admodum sensibiles sint; subinde mitis, ut in inflammationibus chronicis; subinde deficit, ut dum impendet sphacelus. Dolor ab irritatione partium sensibilium, et irritabilium, nervorumque distentione nascitur. Discrepat ejus intensitas secundum inflammationis gradum, speciem, et partium adfectarum indolem. Est enim atrox et pungens, si afflictae partes nervosae, fibrosae, et tensae sint; gravis et obtusus, si parenchymata, glandulae, et viscera multa cellulari scatentia afficiantur; pulsatorius, si arteriae inflammentur, aut inflammatio ad suppurationem propendeat. Tandem secretio affectarum partium vel aboletur, vel au-

Digitized by Google

getur, vel perturbatur, et hinc ab istis partibus modo serum, modo lympha coagulabilis, modo materies puriformis secernitur.

§. 205. Observatio foenomenorum, quae in inflammatis externis partibus contingunt, primam lucem quoad inflammationis naturam dedit. Ex hac enim aliquid certi statuere potuimus, et internas inflammationes detegere, quamvis ab evidentibus notis, ut externae, percipi nequeant. Revera etsi tumor, et rubor alicujus inflammati visceris sub oculis non cadunt, tamen a pungenti dolore, interno aestu, acuta et continua febre, functionum laesione illius inflammatio deducitur. Experientia etiam edocti fuimus, eamdem curationem tam externis, quam internis inflammationibus expedire. Sedula autem cadaverum inspectio nobis multiplices inflammationis effectus palam fecit. Hac enim deprehendimus, a secreta lympha coagulabili pseudo-membranas, partiumque adhaesiones produci; nova vasa, et gelatinosi tumores in visceribus ge-

nerari; viscerum parenchyma quandoque abolari, quod in lentis inflammationibus accidit. In demortuis acuta phlogosi non raro maculae gangraenosae, et sphacelus observatur; sed hujusmodi foenomena non semper inflammationis effectus sunt, ut animadvertit Sprengelius lib. 2. pathol. spec. §. 146. = Cavendum enim est, maculas gangraenosas, aut sphacelo correpta loca intestinorum praegressae inflammationis signa habeas: quippe solent a putredine mortis agonem comitante nasci. Coalitus vero partium, novorum corporum, vasorumque generatio, tumores viscerum gelatinosi tutius judicium de praegressa aegritudine formant. =

§. 206. Tam veteres, quam recentiores circa proximam inflammationis caussam varias excogitarunt hypotheses. Illas veterum docte exposuit Burserius, quae licet inter se discrepare videntur, tamen pleraeque aut sunt similes, aut nisi in verbis non differunt. Inquit enim Hippocrates lib. de capit. vulner. = partes ulcus ambientes inflammantur, ac in-

tumescunt propter sanguinis influxionem ⁓ In variis libris asseruit Galenus, inflammationem contingere, ubi sanguis calidior et copiosior in aliquam partem labitur, et hinc prius vasa majora, deinde minora ita distenduntur, ut ex iis sanguis exudet, et in spatiis colligatur, quae circa vasa, et in carne sunt. A diversis autem sanguinis qualitatibus statuerunt Galenici inflammationis differentias, scilicet a puro sanguine phlegmonem; ab eodem bili, pituitae, melancholiae mixto phlegmonem crysipelatodem, oedematodem, scirrhodem; a bile, pituita, melancholia sanguinem excedente erysipelas, oedema, scirrhum phlegmonodem nasci existimabant. Parum a Galenicis distant Chemici, qui ita sanguinem effervescentem admittebant, ut aegre per vascula flueret, et dum prius obstructionem faceret, postea è vasis effusus phlegmonem progigneret. Etmullerus, qui duas imaginavit hypotheses, in una loquitur de spiritu influo, quem Burserius spiritum nerveum, ipsumque sanguinem interpre-

tatus est, ac de spiritu insito, qui idem est, ac vasorum, fibrarumque irritabilitas, et elasticitas. Ut calorem animalem ab actione mutua acidi, et alchali, sic calorem phlogisticum a vehementiore motu spiritus influi et insiti proficisci opinatus est. Ut autem id demostraret, cognitissima Helmontii spina utebatur, quae inflammationis foenomena alicubi infixa inducit. Spina est quidquid pungere et irritare valet. Dolor spiritum influum ad partem afflictam arcessit, et ex motu cum spirito insito manifestatur aciditas, quae prius erat occulta, et calor intensus fit. Caussa igitur est irritatio dolorosa, ex qua nascitur inflammatio; coagulum sanguinis est symptoma superveniens. In altera posuit pro inflammationis caussa stagnantem sanguinem ob impeditum refluxum ab arteriis in venas. Ex congestione igitur sanguinis inflammatio deducitur. Sydenhamius nullius opinioni addictus ratus est, inflammationis caussam in humorum diathesi adinveniri, quae in accensione sanguinis, ac in ejus fervore con-

sistit. Idcirco inflammationem excitari judicavit, si inflammatae sanguinis partes aut in externis, aut in internis locis deponantur. Qui leges mechanices ad explicanda oechonomiae animalis foenomena tam in statu sano, quam in morboso impendebant obstructionem arteriolarum rubrarum, aut rubris proximarum, admissa vasorum decrescentium serie, vel a mole, vel ab aucto lentore globulorum sanguineorum, vel ab imminuta canalium capacitate productam, inflammationis caussam esse arbitrabantur. Ex hac autem obstructione motum, et impetum sanguinis augeri per obstructa, et libera vasa crediderunt, unde celeriores et validiores cordis motus, arteriarumque fiunt, et omnia inflammationis symptomata evolvuntur. Ab hisce mechanicorum principiis parum recedit Boerhaavius. Quoniam vero a sola obstructione inflammationem derivari non posse perspexit, sanguinis stagnantis in minimis vasis attritum addidit, qui a motu reliqui sanguinis per febrim acti commovetur. Quomodo autem

hujusmodi attritus accidat, egregius vir explicare non potuit, et hinc ut reliquae sua corruit opinio. Quapropter aliae hypotheses locum occuparunt, praesertim illa Hoffmanni, et Cullenii, qui a spasmo extremitatum arteriosarum inflammationem deduxerunt. Recentiores autem in proprietatum vitalium alteratione caussam inflammationis inquirunt. Bichat enim, qui omnes morbos ab huiusmodi proprietatibus vel incitatis, vel depressis deducit, asserit a concitata sensibilitate organica, et contractilitate insensibili inflammationem pendere, ut remedia ad eam comprobant, quae harum proprietatum incitationem imminuunt, nimirum cataplasmata emollientia, fotus, balnea localia, etc. Sprengel autem in hisce proprietatibus vel incitatis, vel imminutis, vel ita immutatis, ut a natnrae instituto deflectantur, variarum specierum inflammationis caussam constituit. Praecipuis itaque auctorum hypothesibus recensitis, ut aliquid de inflammationis caussa dica-

mus, ad pervestigandum, quae sit hujus morbi natura, properemus.

§. 207. Si pars inflammatione laboret, quae praeter naturaliter rubet, calet, tumet, dolet, intusque pulsat, sanguinem in eam abundantius, vehementiusque fluere, evidenter patet. Cum totus sanguinis a venis revehi non possit, distendit vasa, per inorganicos poros é vasis abit, et in spatia circumpositae telae cellularis illabitur. Ut inflammatio in partibus evolvatur, non sufficit, qnod totus sanguis non recipiatur a venis; ex hoc enim nascitur tantummodo congestio, quae turgor a recentioribus appellatur. Ut igitur oriatur inflammatio, exposcitur stimulus, et irritatio. Dum agit praeternaturalis stimulus majore quantitate, et promptitudine sanguis per vasa circulat, qui cumulatus vasa distendit et nervos, ac sensibilitatem commovet. Actione igitur morbosi stimuli inflammationis foenomena exponuntur, quae quidem non prodeunt, cum vasa cruore simpliciter impleantur. Hoc enim in casu rubor et tu-

mor solum comparent, sed dolor, calor, aliaeque inflammationis notae omnino deficiunt. Stimuli sive interni, sive externi multiplices sunt, qui ubi partes irritabiles et sensibiles urgent, inflammationem progignere valent. Non omnes vero eadem ratione irritantes, et acres sunt. Extant plura, quae etsi ad praeternaturales stimulos non spectent, tamen stimulorum effectus inferunt, ut quaedam aëris qualitates, sanguis ipse, et humores, qui cordis, vasorum, fibrarumque vires percellunt. Adsunt autem quaedam irritamenta adeo acria, et urentia, quae potius partium irritabilitatem et sensibilitatem delent, et extinguunt. Alia, quae dum aliquam partem irritant, alteri parcunt. Praeterea variae sunt diatheses, ut rheumatica, arthritica, gastrica, typhodes, atonica, periodica, scrophulosa, scorbutica, venerea, carcinomatica, quae inflammationes secundarias generare solent.

§. 208. Quamvis quae hactenus exposuimus indubia sint, tamen absonum non videtur, quod aliquando inflammatio sine

stimulo, et irritatione nascatur. Hoc experientia, et gravissimorum auctorum testimonio confirmatur, quidquid contra recentiores dicant. Plurimi enim expertissimi in arte viri ante Brunonem duas inflammationis species naturae oppositae distinxerunt. Hi iflammationem a virium defectu genitam cognoverunt, quae in hominibus debilibus a caussis debilitantibus generatur, symptomatibusque stipatur, quae summam virium infirmitatem declarant, ut in operibus Sarconis, Morgagnii aliorumque videre est. In hac eadem opinione versabatur Hoffmannus, qui Tom. 4. med. rat. sect. 2. pag. 200. hoc scriptum reliquit. = Omnium deterrima illa est inflammatio, quae senibus, infirmis, scorbuticis, et diuturno moerore confectis, item in finem acutorum morborum accidit, ob succorum vitium inemendabile, et magnam virium impotentiam non tam facile superandam = Majore postea evidentia demonstravit Bruno, duas esse inflammationis species, nimirum sthenicam, et asthenicam. Prima

ab exuberante sanguine producta, qui dum vasa distendit, incitat, et cum stimulo incitamentum auget; altera a sanguine etiam orta, qui vasa dilatat a diathesi asthenica fracta, ac sine resistentia cuicumque impulsui cedentia. Prima igitur species a diathesi sthenica universali dependet, quae a statu plethorico corporis, auctoque incitamento constituitur; altera nascitur ab opposita asthenica diathesi, quae in penuria sanguinis, et defectu incitamenti consistit. Pleuritis ideo, quae juvenem plethoricum, robustum, largioribus cibis enutritum corripiat, sthenica est inflammatio; si vero in hanc incidat homo debilis, cacochymicus, victus vitiis, aliisque caussis debilitantibus enervatus, hujusmodi inflammatio asthenica est, quae si prompte in gangrenam abeat, maligna dicitur. Siquidem igitur in inflammatione ab atonia nata vasa minime renituntur, et sanguinem propellere nequeunt, plerique etiam ante Brunonem, et anteaquam Hunterus plerumque ophthalmiam a locali debili-

Digitized by Google

tate oriri affimaret, incitantibus auxiliis inflammationes curabant, quae ad asthenicas pertinent.

§. 289. Plures contra sunt recentiores, qui semper inflammationem, ut processum actionis auctae considerant. Ad hanc confirmandam opinionem inquiunt, tam veteres, quam recentiores ante Brunonem, inflammationem, ut processum adaucti stimuli judicasse, quod absolute verum non est. Omnes enim practici ante Brunonem dum generatim de inflammatione loquuntur, stimulum, et irritationem, ut illius caussam recipiunt; sed dum de ea speciatim pertractant, illam etiam inflammationem admittunt, quae a defectu stimuli nascitur, et a symptomatibus astheniae distinguitur. Perperam ergo asseritur, veteres in inflammatione maligna, et gangraenosa deficientem actionem partium affectarum non deprehendisse, et primum fuisse Brunonem, qui eam credidit affectionem a defectu incitamenti productam. Et re quidem vera plurimi inter veteres non solum in-

flammationem malignam ad gangraenam, sphacelum, et mortem pronam ab universali debilitate derivarunt, sed etiam asserunt, hunc morbum pejorem fieri, si evacuationibus curetur, et interdum sanari, si contraria medendi ratio adhibeatur. Quoniam vero non solum aliquando adest universalis debilitas, sed etiam partialis, nimirum ipsius inflammatae partis, quaecumque sanguinis imminutio, etiam levis, alea plena est. Inquit Morgagnius Epist. 68. de sed. et causs. morb. de inflammatione benigna, aut legitima, et de maligna loquens, primam sanguinis repetitis emissionibus subjgi, secundam hisce evacuationibus pejorem evadere, citiusque necare.

§. 210. Si igitur inflammatio aut irritatione, aut sine irritatione nascatur, optima mihi videtur illa divisio, quae eam in activam, et passivam distinguit. Haec quidem ad genuinam ejus naturam assequendam, et ad opportunam curationis methodum statuendam conducit. Etsi enim inflammatio processus semper foret

actionis auctae, nihilominus fatendum est, interdum tam esse brevem, et fugacem concitatam partium affectarum actionem, ut citissime extremae debilitatis signa manifestentur. Quocirca si absolute inflammatio, ut morbus actionis auctae haberetur, gravi aegrotantium discrimine, saepe nimis antiphlogistica ratio extenderetur. Posita vero inflammationis distinctio efficit, ut in omnibus casibus dignoscatur, quando, et quatenus antiphlogistica, aut incitantia remedia conveniant.

§. 211. Cum inflammatio duplex sit, dari non potest corporis constitutio, quae ab hoc morbo immunis sit. Ad activam vero inflammationem temperamentum sanguineum, et biliosum, aetas juvenilis, et media, robur corporis, aucta partium elasticitas, et irritabilitas, sanguis densus, et parte fibrosa abundans disponunt. Contra ad passivam infirma, et gracilis temperies, viscerum, aut partium debilitas, cujus caussa vasa in humores non satis reagunt, sanguis nimis tenuis, et ali-

qua labe infectus trahunt. Dantur homines, qui haereditario jure variis viscerum inflammationibus obnoxii observantur; ut dantur partes, quae expeditius, quam alterae inflammationem concipiunt. Externa organa frequentius, quam interna; viscera, et membranae saepius, quam ossa, cartilagines, tendines, ligamenta inflammantur.

§. 212. Excitantes inflammationis caussae innumerae sunt; siquidem innumera sunt irritamenta, quae dum localiter, aut universaliter in partes sensibiles, et irritabiles agunt, eam progignere queunt. Frequentiores sunt aëris qualitates, et climatis, quaedam alimenta, et potiones, quaedam contagia, nonnulli animi affectus, motus corporis vehemens, et immodicae exercitationes, vulnera, fracturae, luxationes, morsus insectorum, et animalium venenatorum, et aliquando ipsa remedia. Quoad aëris qualitates, cum hae calidae sint et siccae, frigidae et siccae frigidae et humidae; cum calidae et siccae in frigidas et humidas commutentur,

inflammationibus originem suppeditant. Frigus etiam aestuante corpore exceptum horum morborum est frequentissima caussa. Qualitates climatum eumdem producunt effectum; idcirco in Aegypto inflammationes oculorum, in Indiis hepatis, in Africa, ubi aër pulveribus, et salibus repletur, pulmonum familiares sunt. Etiam annua aëris constitutio viscerum inflammationes saepe excitat, unde nunc cynanche, nunc pleuritis, nunc enteritis epidemice grassantur, quin in illo manifesta vitia extent. Alimenta autem nimis acria, stimulantia, aromatica, generosa vina, potiones spirituosae nullo negotio inflammationes inferunt, maxime si hisce faveat aut phlogistica diathesis, aut epidemica constitutio. Idem producunt quaedam contagia, quorum proprietas est vasa nimis incitare, praecipue si plethorica sit temperies. In juvenibus incitantes animi affetus non raro morbos inflammatorios pariunt, maxime aliis accedentibus caussis. Motus vehemens corporis, immodicae organorum exercitatio-

nes inflammationibus ansam praebent, praesertim sub aëre frigido. Hinc cantores, publici oratores, et qui pulmones admodum exoercent, frequenter angina, pleuritide, aut peripneumonia implicantur. Item remedia, aut venena mirum in modum incitantia, aut primitus agant in vasa, aut magis in organa, persaepe inflammationes inducunt.

§. 213. Veteres clinici, qui ab humorum qualitatibus ad morborum exponendam originem propendebant, phlogisticam sanguinis diathesim, ut inflammationis caussam habuerunt. Dum sanguis è vena missus in massam densam, et tenacem cogitur, albo, firmoque corio obductam, dictus fuit phlogisticus, quippe qui in inflammationibus plerumque cernitur. Cum vero corium album, quod dicitur crusta pleuritica, quia frequentius in pleuritide occurrit, non semper in inflammationibus sanguinem obducat, dum non raro deprehenditur, ubi inflammatio deest, nisi alia concurrant signa, indubium inflammationis indicium minime est.

Quapropter necesse fuit, ut ab ipsis veteribus duo genera lentoris in sanguine distinguerentur, nimirum aliud calidum seu inflammatorium, ab aucta actione solidorum, et aliud frigidum seu mucosum, ab actione imminuta profectum. In primo genere sanguis est tenax, firmus, irritans, in altero laxus, viscosus, mucosus, minime irritans. Si vero in hoc adsit nonnunquam crusta tenax, crassamentum ut plurimum est tenue, laxum, molle, et copioso sero innatans. Sanguis primi generis modo inflammationem praecedit, et quia vice stimuli fungitur, esse potest inflammationis caussa; modo huic supervenit, quod frequentius accidit, et tunc est inflammationis effectus. Quo autem modo ab inflammatione ita mutatur sanguis, et crusta phlogistica efformetur, inter auctores ambigitur. Idcirco inquit Swietenius §. 384. = Ut verum fatear, anceps haereo, quid de hac pelle tenaci, sanguinis rubrae parti semper arctissime cohaerenti, statuendum sit. = Recentiores arbitrantur, crustam phlogi-

sticam a parte lymphatica sanguinis constitui; siquidem dum a cruore secedit, superiora petit, et in crustam densetur. Quoad autem sanguinis phlogisticam diathesim inquit Burserius, hanc in parte fibrosa et concrescibili excedente, in quantitate sanguinis, et in globulorum rubrorum mutuo contactu adaucto consistere. Haec diathesis ab illa inflammatoria universali differt, quae non solum in fluidis, sed etiam in solidis, nimirum in eorum majore vi, et aucto motu locatur.

§. 214. Sunt quaedam diatheses, ex quibus inflammatio nascitur, ut recentiores praesertim adnotant. Familiaris est inflammatio a diathesi phlogistica nata, quae a signis cognoscitur hujusce diatheseos, ab illis febris inflammatoriae, et a laesione functionis illius partis, ubi amplior est morbus. Haec est inflammatio vera, in qua materies serosae, puriformes, mucilagineae exudant, ex quibus pseudomembranae, et tumores mucilaginei formantur. Rara etiam non est inflammatio a gastrica diathesi proveniens, quae a si-

gnis hujus diatheseos, febris gastricae, et ab illis, quae propria sunt inflammationis deprehenditur. Haec plerumque erysipelacea est, et ad typhodem facile transit. Interdum phlogosis a diathesi typhode proficiscitur, ut in decursu febrium malignarum observatur. Haec est superficialis, parum dolens, livido-rubra, splendens, in gangraenam prona, et humorem acrem depascentem effundens. Saepe ex rheumatica diathesi gignitur inflammatio ut plurimum acuta, membranas, et musculos praesertim occupans, ex uno in alium locum erans, maxime dolens, in exudationes, et adhaesiones propensa, raro in suppurationem, rarissime in gangraenam transiens. Ex diathesi vero arthritica nascitur inflammatio plerumque chronica, dolentissima, errabunda, et tam diuturna, ut saepe habitualis evadat. Haec materiei calculosae, et osseae secretionem frequenter offert, et dum evanescit, in partibus prius affectis maximam debilitatem relinquit. In diathesi scrophulosa exurgunt phlogoses, praeci-

pue ubi magis illa urget. Hae sunt persaepe chronicae, habituales, indolentes, ad lentam suppurationem, et exulcerationem dispositae. Ubi adest scorbutica diathesis, modo acutae, modo chronicae oriuntur inflammationes, scorbuti characteribus distinctae facile in foedam exulcerationem abeuntes. Sub diathesi carcinomatica in partibus ab ea excruciatis praecipue nascuntur phlogoses, dolentissimae, ulcerantes, et depascentem ichorem scaturientes. A diathesi venerea crebro inflammationes nunc partiales, nunc universales nascuntur, quas symptomata syphilidis, noctu exacerbantia comitantur, quaeque in exulcerationes sunt proclives. Saepe cum intermittentibus febribus conjungitur inflammatio, ex periodica diathesi procedens. Hujus symptomata accedentibus paroxysmis intermittentium febrium exacerbantur, et integritatis tempore mitescunt. Non raro sub hisce febribus diuturnis lentae phlogoses in visceribus explicantur, quae plures sequelas habere possunt. Denique in statu cor-

poris atoniae corripit aliquando inflammatio, quae cum typhode confundenda non est, quamvis aliquid similis offerat. Haec plerumque chronica est; habitualis, in partibus affectis ruborem livescentem inducit, et saepe in indurationem, aut exulcerationem transit. Omnes hae diatheses insimul conjungi possunt, et ex hisce inflammationes oriuntur, quae solum a peritissimo clinico, assiduoque studio deteguntur.

§. 215. Animadvertendum est, quod interdum inflammatio minime nascitur ubi primitus stimuli agunt, sed in aliis dissitis partibus, quae consensum habent cum illa, in quam stimuli ipsi irruerunt. Hujusmodi partes consentientes ut plurimum maxima sensibilitate pollent, earumque vasa nimis incitantur. Idcirco si a superficie corporis excipiatur frigidus aër, saepe interna viscera inflammantur, maxime respirationis organa. Sic, si aestuante corpore, aqua frigida affatim hauriatur, non ventriculus, sed pleura saepe inflammatione corripitur. In diversis

autem diathesibus frequentius inflammationes in illis locis suscitantur, quibus diathesis infensior est.

§. 216. Quin omnes humani corporis partes sensibiles, et irritabiles interdum inflammatione afficiantur, indubium est. Compertum enim habemus, arterias, venas, nervos, membranas, ossa, cartilagines, glandulas, viscera, vasa absorbentia inflammationem suscipere. Arteriae, et venae tunicis conflantur, per quas minima vasa reptant, ut in magnis truncis injectionum ope, et ut in animalibus post vehementem cursum mactatis deprehenditur. In his aorta exterius fere nigra apparet, quia vascula a nimio affluenti sanguine distenduntur. Arteriarum inflammatio violenta est, dolorosa, pulsatione distincta, et per propinquas partes propagatur. Venae, quamvis rarius, inflammatione laborant, ut cadaverum inspectiones comprobant, in quibus aliquando viscera turgidis conspersa venis perlustrantur. Ad detegendas vero in vivente homine inflammationes veno-

sas indubia, et clara signa desiderantur. Hae saepe latent, et fere clanculo procedunt. In perlustrandis vero cadaveribus cavendum est, ne inflammationem venosam adfuisse credamus, ubi nulla adfuit inflammatio. Non raro enim in febribus malignis venosae repletiones contingunt, quae non ut totidem inflammationes habendae sunt, sed ut spasmi, et maximae debilitatis effectus. Plures recentiores, novi systematis amore irretiti, hanc veritatem flocci pendent, et ad praecavendas, aut ad auferendas suppositas phlogoses maximo aegrotantium damno sanguinis missiones praecipiunt. Ad eorum pertinaciam expugnandam satis sit Burserii auctoritatem adducere, qui §. 51. inquit = Nam non ignotum est, quantum aegrorum exitium accelerarint illi, qui ab inspectis in cadaveribus falsis huiusmodi inflammationibus permoti, et decepti; ut eas aut praecaverent, aut tollerent, largiter, et iterato in morbis malignis, aut putridis illius generis sanguinem mittere non dubitarunt. Norunt id Clinici exer-

citatiores, et nunquam monitis desinunt juniores medicos a perniciosissima hac sanguinis profusione absterrere. = Vasa absorbentia, multa sensilitate donata, si ab insueto, et acri stimulo irritentur, aliquando inflammantur. Tunc tumefiunt, dolentia evadunt, et eorum affectionis telam cellularem finitimam participem faciunt. Nervi etiam inflammantur, ut praecipue accidit, dum vehementes dolores arthritici urgent; nam eorum vaginae humore gelatinoso turgidae quandoque offenduntur. Musculi, in quos innumerae arteriae feruntur; tendines firmissimi, et albicantes, per quorum vaginas, et fibrillas vascula irrepunt, non raro inflammatione implicantur. Glandulae cujusque generis, in quarum fabricam innumera vascula arteriosa concurrunt, saepe inflammatione laborant. Ut plurimum in inflammatis glandulis dolor est obtusus, mollior tumor, et inflammatoria affectio magis lenta. Ossa, per quorum laminas ex periostio ad medullam, et in capite ad diploen, vascula penetrant, inflammationem

aliquando patiuntur. Ossibus propinquae sunt cartilagines, quarum plures in ossa mutantur. In his a Ruyschio, aliisque anatomicis vascula sanguinea fuerunt demonstrata; ideoque intelligitur, quare etiam cartilagines inflammationem suscipiant. Tandem omnia viscera, corde non excepto, eodem morbo saepe prehenduntur, ut quotidiana experientia edocemur. Quamobrem asseri potest, omnes corporis partes plus minusve inflammationibus obnoxias esse.

§. 217. Quamvis ubique evolvi possit inflammatio, tamen quoad ejus primariam sedem incerti manemus. Plures recentiores hanc in vasorum capillarium systemate collocant. Hujusmodi opinionem, quam fere primi Fabrius, et Vanden-Bosch protulerunt, maximopere illustravit Biohat, aliique observationibus microscopiois comprobarunt. Videamus argumenta, quibus haec sententia innititur. In inflammationibus vasa capillaria, quae juxta naturae leges aut solum vapores, aut particulas a sanguine secretas vehunt,

recipiunt sanguinem, vice arteriarum funguntur, cum novam activitatem adipiscantur. Ex hac nova capillarium functione nascitur inflammatio, quae in initio coagulatio videtur esse, sed non vera sanguinis stasis, quoniam praeternaturaliter horum vasorum activitas augetur. Hinc exponitur ruboris aequalitas, quae a sanguine pendet per vasorum capillarium reticula diffuso; calor auctus, qui ab aucta particularum oxydatarum depositione nascitur; dolor, qui ab adaucta nervorum sensibilitate suscitatur. Nervi, maxime gangliosi, quorum facultas in inflammationibus immutatur, non amplius secretiones gubernant. Inversa igitur horum facultate, dum sanguis plasticae naturae fertur per vasa aliena, quae ad insuetas functiones disponuntur, particularum secessus, partiumque oxydatarum depositio contingit. Ob id novae formationes, et novae partes nascuntur, ut lapideae, osseae, membranae, tumores, et vasa. Haec argumenta, quae primariam inflammationis sedem in vasis capillaribus compro-

bant, licet evidentia appareant, tamen non excludunt, quod aliquando in ramificationibus arteriosis prius inflammatio sedeat. Subinde enim arteriae prius inflammari, et postea per morbi propagationem vasa capillaria; subinde solum arteriae inflammationem concipere videntur. In calido oedemate, quod initium est inflammationis, tumor dolens, et calidus, sed minime rubens deprehenditur; siquidem vasa capillaria sanguine non perfunduntur. Ex succensis autem arteriis erumpit cruor, et in circumpositam telam cellularem irruit, quae etiam inflammatur. Probabilius igitur inflammatio modo in capillaribus, modo in arteriis primitus residere videtur.

§. 218. Inflammatio praeter divisionem in activam, et passivam, alias plures differentias subit. Propter loci, quem occupat, diversitatem in externam et internam dividitur. Prima expedite dignoscitur, altera saepe difficile, quia non semper omnia signa eam denotantia apparent, ut localis dolor, febris acuta,

pulsus duri, conditiones phlogisticae sanguinis. Aliquando obscure procedit, nec offert evidentia signa, ac dum haec latent, in gangraenam abit. Sedulo igitur omnia investiganda sunt, ut morbus, et affecta pars detegatur. Propter autem diversam indolem in benignam, et malignam inflammatio tribuitur. Illa solitis, et evidentibus symptomatis progreditur, nec clam vitae vires delet; haec vero a caussis debilitantibus orta dum non videtur maligna, vires abolet, nec consuetis, et apertis signis patefit. Praeterea, inspectis caussis, in sporadicam, endemicam, epidemicam, et contagiosam inflammatio distribuitur. Est sporadica, si ob peculiares, et diversas caussas nonnullos corripit; endemica, si a caussis localibus quarumdam regionum propriis proficiscitur; epidemica, si ob communes caussas aggreditur; contagiosa, si per contagium extenditur. Ratione autem celeris, vel diuturnae progressionis in acutam, lentam, et chronicam dividitur. Acuta vero non solum celerius, sed etiam vehemen-

tius progreditur; lenta diutius, ejusque symptomata ut plurimum debilitatem ostendunt, ut in marginibus ulcerum inveteratorum videre est. Haec potest afficere viscera, partesque glandulares, ut mammae, parotides. Saepe clam incedit, et etiam exercitatiores decipit. Idcirco jure inquit Sprengel §. 149. loc. cit. = Haud vero rarum est hactenus latere, ut vel expertissimum fallant. Absunt enim interdum omnes dolores, aut in aliis partibus percipiuntur, functiones minus laeduntur, aut aliorum omnino organorum, ut sectio tandem cadaverum lucem nobis foeneret. = Chronica proprie dicitur, quae ab aliqua dyscrasia, ut scorbutica, venerea, ortum habet. Inflammatio originis caussa aut primaria dicitur, ab alio morbo non deducta; aut secundaria, alicui morbo succedens; aut symptomatica, quae aliquem morbum comitatur, et veluti ejus symptoma habetur. Quoniam vero aut per totum corpus extenditur, aut in aliqua parte sedet, aut universalis, aut partialis nuncupatur. Permanens

etiam dicitur, si in affectis partibus fixa maneat; errabunda, si ex uno in alium locum migrat. Si hujus morbi respiciantur gradus, aliae exurgunt differentiae, quae, ut animadvertit Burserius, inflammationibus externis magis accomodatae videntur. Hujusmodi gradus juxta scriptorum opiniones quatuor sunt. Primus illam affectionem constituit, quae dicitur phlogosis, cujus symptomata levissima sunt; secundus est ille tumor inflammatorius valde ruber, calidus, tensus, pulsans, dolens, rotundus, febre stipatus, membranam adiposam occupans, phlegmone dictus; tertius appellatur inflammatio systrophica, cum scilicet affecta pars supra modum tumescit, et dolet; quartus tandem est inflammatio gangraenosa, siquidem prompte in gangraenam degenerat. Aliquando cutis inflammatur, et hujusmodi inflammatio dicitur erysipelas, si parum attollatur, pruritum potius, quam dolorem afferat, colore rosaceo tingatur, qui digitorum pressione albicet, et interdum per varia loca diva-

getur. Quaecunque sit ejus caussa, aliquando in phlegmonem transit. Etenim dum dilatantur vasa, et copiose affluit sanguis, affectio per membranam adiposam extenditur, et phlegmone constituitur. Quandoque vero majorem quantitatem sanguinis vascula cutis accipiunt, et hinc formatur tumor dolens, calens, non rubens, imo subinde omnino albus, qui calidum oedema nuncupatur. Hoc distinguendum est a tumore molli, indolente, pressioni digitorum obsequente, albo, qui ab aquosis humoribus efficitur panniculum adiposum distendentibus. Calidum oedema dicitur erysipelatosum, si naturae erysipelatis accedat. Tandem quoniam inflammatio aut ad phlegmonem, aut ad erysipelas, aut ad oedema appropinquet, alia ejus divisio in phlegmonoden, erysipelatoden, et oedematoden orta est.

§. 219. Quamvis inflammatio aliquando esse potest tum naturae, tum artis salutare instrumentum, ut plurimum morbus est alea plenus, praesertim ob ejus sequelas. Generalis vero prognosis a

morbi sede, caussis, natura, et vehementia deduci debet. Enimvero periculosissima est inflammatio partium, quae vitae praesident; mitior externarum, quamquam interdum esse potest lethalis, ut est erysipelas malignum. Maximum item portendit discrimen, si a praegressis acutis morbis oriatur in visceribus; si sit maligna, epidemica, aliisque complicata morbis; si maxime acuta, et vehemens. Quaecunque sit inflammatio varios habere potest exitus, scilicet resolutionem, hydropem acutum, suppurationem, scirrhum, exulcerationem, et gangraenam. Secundum autem affecti organi naturam ad hunc, vel illum exitum proclivior est.

§. 220. Resolutionem esse optabiliorem exitum, quisque videt. Quia vero post inflammationem resolutam nonnulla interdum remaneant incommoda, aut aliorum morborum germina, in perfectam, et imperfectam resolutio dividitur. Est perfecta, si non solum omnino resolvatur morbus, sed etiam nec in parte prius affecta, nec in reliquo corpore ullum supera-

ti morbi vestigium supersit: est imperfecta, si per metastasin dissipetur morbus, aut in afflicta parte aliquod incommodum, alteriusve morbi germen relinquatur. Ut autem praenoscatur, cum resolutio perfecta obtineri possit, quae sit inflammationis natura, sedes, caussa excitans, curatio, examinandum est. Facilius enim resolvuntur inflammationes activae, quam passivae; quae in membranis serosis, vel muccosis, quam quae in parenchymate viscerum, et glandularum evolvuntur; quae ab externis, quam ab internis caussis nascuntur; quae mature, et rite curantur. Ad perfectam resolutionem assequendam aut vigor vasorum lymphaticorum, quae extravasatos liquores sub decursu morbi prompte absorbeant, necessarius est; aut oportet, secreti humores excernantur, ut in peripneumonia, quae sputorum coctorum, et striis sanguineis tinctorum excretione terminatur; aut perfecta requiritur crisis. Quaedam praeterea sunt indicia, quae perfectam resolutionem promittunt, nimirum sympto-

matum ordinata imminutio; incipiens affectae partis mador; functionum in pristinum statum restitutio; in urinis saepe saturis, aut limpidis nubecula levis, aut flavescens sedimentum; secretio et excretio a partibus laborantibus humorum, quorum separatione, et expulsione inflammationes resolvuntur, ut enteritis dum ab alvo intestinalis humor egeritur. Resolutio imperfecta vel a signis alicujus metastaseos, vel ab illis alicujus incommodi, aut alterius morbi germinis in partibus prius inflammatis cognoscitur. In his enim saepe observatur aut tumor, et durities motuum, et functionum libertatem impediens, aut adhaesiones partibus finitimis, ut pleura pulmonibus, unde tussis, respirationis difficultas, aliqua doloris sensatio post pleuritidem nonnunquam remanent; aut ossea, lapidea, tophacea concrementa, ut post nephritidem, aut cystitidem calculi, post arthriticam inflammationem tophi, a calce phosphorea derivati; aut novae partes, et abnormes, quae prius vita gaudent, deinde lente

moriuntur, et putredinem subeunt, unde alii morbi oriri possunt.

§. 221. Alter inflammationis exitus est hydrops, ratione originis acutus nuncupatus. Interdum est inflammationis comes, praecipue si membranae serosae hoc morbo corripiantur; ast non raro post inflammationem devictam collectio serosi, cruenti, et puriformis humoris remanet, quae ut illius exitus haberi debet. Hujusmodi hydrops aut est liber, aut saccatus, scilicet in pseudo-membranis inclusus. Quandoque in partibus prius inflammatis relinquuntur hydatides, nimirum parvi sacci, a tenuibus pseudo-membranis extructi, parvamque extensionem occupantes.

§. 222. Si nec naturae viribus, nec artis adjumento inflammatio resolvatur, saepe suppuratio succedit. Haec est peculiaris processus ab inflammatorio diversus, per quem sanguis, et humores tantam mutationem subeunt, ut inde verum pus efformetur. Cum suppuratio fi-

at, non desunt peculiaria signa, ut inflammatio, quae fit vehementior, dolor atrox, et pulsans, partis tensio, et tanta nervorum irritatio, ut horripilationes percipiantur. Dixit Hippocr. Aph. 47. sect. 2. = Circa puris generationes, dolores, et febres magis accedunt, quam confecto: = Postea mitescunt symptomata, ut dolor, tensio, rubor, et febris irregularibus accessionibus, et horroribus progreditur. Si pars inflammata externam corporis superficiem occupet, efformatur tumor acuminatus, qui paullatim mollescit, et in acumine colorem flavescentem, aut albescentem praesefert, dum margines intenso rubore inficiuntur. Cum tumor mollis est, et flavus, aut nullus, aut exiguus urget dolor, qui tamen in ambitu percipitur. Confectum pus contiguas partes removet, et in peculiari cavea colligitur. Interdum hujusmodi cavea non parum extenditur, ut in phlegmone suppurata. Enim panniculum adiposum facile cedit, et a collecto pure in magnum tumorem distenditur. Priusquam vero ef-

Digitized by Google

formatus sit abscessus, praeternaturalis cavea non existit, ut, si tumor adhuc crudus incidatur, videre est. Hic durus est, et ab hoc inciso latex cruentus, tenuis, serosus effluit. Si autem tumor, facta suppuratione, secetur, educitur verum pus, et cavea deprehenditur, quae fit a secessu partium, quae prius erant contiguae. Si internarum partium inflammatio in suppurationem transeat, dolor, ut in externis, fit pulsatorius, accedunt horripilationes, circa partes contiguas observatur oedema, febris suppuratoria explicatur, horis vespertinis levi frigore invadens. Pulsus fit frequens, celer, et interdum vibrans; post frigus evolvitur calor, genas, et praecipue manuum volas urens, cui succedit nocturnus sudor, et in urinis puriforme sedimentum desidit. Si haec febris continua, et habitualis evadat, dicitur hectica. Hujus accessiones vespertinae horroribus incipiunt, et praecipua symptomata sunt aestus urens in manuum volis, et plantis pedum, noctes insomnes, sudores copiosi et colliquativi,

urinae turbidae, interdum sedimentosae, aut cum natanti pellicula oleaginea, et varii coloris, vires delapsae, pulsus frequentes, duriusculi, corporis macies. Hujusmodi febres saepe lethales sunt, sed earum prognosis a suppurationis sede, morbi diuturnitate, aegri constitutione, symptomatum gradu deducitur.

§. 223. Quae sit puris origo, ejusque natura, incertum est. Nonnulli arbitrantur, pus ab humorum corruptione nasci, sed hujus opinionis falsitatem sic demonstravit Sprengelius. 1. Si talis esset puris origo, hoc in stagnatione humorum serosorum, lymphaticorum, et ipsius cruoris haberetur, quod a veritate alienum est. 2. Pus blandum liquorem non constitueret. 3. Simile aliquid puri produceretur a spontanea fermentatione, et putredine sanguinis, aliorumque humorum; sed quod inde producitur a pure maxime differt, ut a foetore singulari, et acrimonia perspicitur. Alii credunt, pus in universa sanguinis massa generari, proindeque in aliquam partem deponi. Verum ad sup-

purationem absolvendam necessaria est activitas, quae a praegressa inflammatione habet originem, sine qua pus secerni nequit. Alii Reilii opinionem sectantur, qui abscessum considerat, ut organon puris secretioni dicatum. Mihi autem probabile videtur, suppurationem esse morbosum processum, ex quo in abscessu secernitur pus, quod in ipsis vasis, nec extra generatur; siquidem aliquando citra ullam caveam ab ipsis vasculis profunditur. Quae vero sit sanguinis pars, ex qua formetur pus, scilicet an ab albumine, et fibra, an a gelatina sanguinis, praefiniri non potest.

§. 224. Bonum pus est blandus humor, uniformis, subalbicans, flavescens, consistentiam cremoris lactis, et saporem mitem, et fere dulcem habens, aqua gravior; et in aqua non solubilis, nec acidi, nec alcali notas exhibens. Materies puriformis eosdem characteres sistit, quae inflammationis effectus est. Nullum enim nec oculis, nec chemica analysi deprehendi potest discrimen. Pus vero distat

a muco, licet utraque liquida eamdem quandoque praeseferant speciem. Omni tempore, ut haec distinguantur, plura consilia dederunt auctores. Darwinius puri, aut muco aqua attenuato acidum sulphuricum miscere suadet. Hoc enim modo, si humor aquae mixtus sit pus, cum acido sulphurico aequabilem mixturam constituit; quod non evenit, si mixtus humor mucus sit. Cum autem in particulis puris globuli insunt, quoad magnitudinem sanguineis globulis inferiores, optimum est Pearsonii, et Gruithuisenii consilium, ad microscopium confugere, si notae puris, et muci ob quamdam similitudinem expedite discerni non possint.

§. 225. Si inflammationes nec resolvantur, nec suppurent, saepe in scirrhum convertuntur. Scirrhus est tumor durus, et indolens, qui frequentius in partibus glandulosis obvenit. Post lentas inflammationes glandulae saepissime scirrhosae fiunt, quamvis etiam hoc morbo afficiantur, si qua caussa sit, quae immeabilem reddat humorem ab eis secretum, et fa-

ciat, ne per ductum exrcetorem abire possit. Pars enim tenuissima humoris absorbetur, crassiorque remanet, quae nervos, et vasa comprimit, unde crescit in dies tumor, durities, insensibilitas, quae in insanabili scirrho, ut Galenus inquit, absoluta est. In glandulis scirrhus lente incipit, parvo pendunculo contiguis partibus coalescit, et mobilis est; paullatim vero ejus moles augetur, nec digitis huc illuc moveri potest. Si in ulcerationem pronus sit, magna est ejus durities, superficies aspera, venae vicinae turgidae, ac protensis per propinquam telam cellularem pedunculis, firmiter figitur. Partes igitur inflammatae quae in scirrhum transeunt, non amplius dolent, et rubent, sed durae fiunt. Nervorum enim activitas, quae in moderandis secretionibus maximi momenti est, infirmatur, eodemque tempore vasorum absorbentium potentia subditur. In locis ubi desunt glandulae, sed multae arteriae serpunt, ex quibus peculiaris humor secernitur, qui in communi receptaculo colligitur, si

ejus exitus ab aliqua caussa impediatur, non raro evolvitur scirrhus, ut in testibus obvenit. Glandulosae vero partes magis huic morbo obnoxiae sunt, praecipue si a glandulis viscidus, glutinosus, et tenax humor separetur, aut talis paulo post secretionem evadat. Ideo patet, quare mammae tam frequenter scirrhum concipiant. Lac enim ad coagulationem proclive in ipsis vasis lactiferis stagnat. Ob eamdem rationem efformantur scirrhi in membrana mucosa narium, ubi exiguae glandulae humorem facile concrescentem separant; in glandulis sebaceis, quae in limbis palpebrarum sunt, et unctuosum smegma secernunt; in cryptis mucosis, quae in ore fere ubique sedent; in glandulis, quae in statu sano, et morboso recipiunt quidquid a reliquis humoribus abscedit, ut sunt illae in axillis, et inguinibus positae. Ex hac ipsa natura materiei, quae hujusmodi glandulas, et implicata vasa infercit, pendet difficultas, qua scirrhi resolvuntur. Ex visceribus pancreas, mesenterium, uterus frequen-

tius scirrho laborant; sed hujusce aegritudinis exempla in ventriculo, intestinis, hepate, liene rara non sunt, ut experientia confirmat.

§. 226. Plurimae sunt scirrhi caussae, sed saepe post inflammationes nec sponte, nec arte resolutas tumor durus, et indolens, seu scirrhus oritur. Nonnunquam inflammationis, vel suppurationis irregularis curatio scirrho ansam praebet. Si enim, dum inflammatio viget, nimiae instituantur sanguinis missiones, et ita prosternantur vires, ut affectae partes reactione careant, hae nullo negotio indurescunt. Abscessus vero si rumpatur in vertice, ubi solum maturus est, dum adhuc ambitus durus perstat, non raro scirrhosa durities consequitur, nisi per aperturam exeat pus, ut in bubonibus venereis saepe obvenit. Ad scirrhi autem formationem quaedam diathesis necessaria videtur, sine qua, licet externae caussae praesto sint, morbus evolvi non potest. Haec in primis in glandularum torpore, et rigiditate versatur; quamvis interdum in

quibusdam sanguinis qualitatibus reperitur. Sanguis enim si sit nimis tenax, praesertim post immodicam subtilium partium jacturam, expedite in glandularum vasculis haeret, earumque duritiem inducit. In hac diathesi habetur ratio, quare in mulieribus sterilibus, virginibus innuptis, aut aetate ita procedentibus, ut menstruis carere incipiant, in hominibus melancholica temperie praeditis, praecipue si inconsulto cohibitus fuerit haemorrhoidalis fluxus, cui erant obnoxii, scirrhi familiares sint.

§. 227. Scirrhus partis ubi sedet functionem laedit, ac illam partium vicinarum perturbat, ob suam, qua comprimit, molem. Si diu perseveret, affectarum partium eversionem molitur. Etenim dum perstat durities, et gliscit in dies, partialis vita omnino destruitur. Dolores non infert, nisi a stimulis externis, vel internis urgeatur. Idcirco in mulieribus, si mammae scirrhosae sint, imminentibus menstruis, saepe dolent. Interdum per plures annos scirrhi indolentes manent,

et sine fere sanitatis laesione, etiam in visceribus. Si vero ab aliqua caussa sanguinis circulatio concitetur, febrisque evolvatur, dolores pungentes, et inflammatio accedit. Etenim donec sanguis placide circulat, per loca scirrhosa transit, licet vasa compressionis caussa arctentur; si vero sanguis vehementer ambiat, frustra vasa ad dilatationem coguntur, proindeque maxima fit irritatio, saepe scirrhus malignus evadit, ac in ulcus abit. Quandoque igitur multa aegrotantium pernicie aut ab animi pathematibus, aut ab immodicis corporis exercitationibus, aut a djaetae erroribus, aut a supervenientibus morbis humores commoventur.

§. 228. Si tumor durus, et indolens partes externas teneat, quia sub oculis cadit, de ejus scirrhosa indole dubitandum non est. Ast hoc non evenit, si internae partes scirrho afficiantur. Necessaria tum est accurata caussarum, symptomatum, rerumque circumstantium indago. Si ex. gr. in hominibus moerentibus, melancholicis, vel in foeminis menstruis

praematurae orbatis, aliquam partem glandulosam inflammatio corripiat, praecipue lenta, quae nec resolvatur, nec in suppurationem transeat, nil expeditius obvenit, quam scirrhi generatio. Sic haereditaria labes, provecta aetas, vita sedentaria, et a suetis negotiis feriata, aut aerumnosa, pravum alimenti genus, sanguinis vitia maxime scirrhorum productioni favent. Praeter autem communia symptomata accedit interdum lenta febris corpus absumens.

§. 229. Considerandi denique sunt scirrhorum effectus, quorum varietas dependet a partium affectarum natura, et a laesione functionum illarum partium, quae mole scirrhorum comprimuntur. Si ex. gr. in testibus scirrhosa durities efformetur, sterilitatem; si in utero, aut vagina sterilitatem, et partum difficilem infert. Partes autem finitimae scirrhis compressae saepe inflammantur; siquidem impeditur sanguinis circulus, et vasa distenduntur. Eamdem ob caussam nascuntur paralyses, et atrophia. Eo magis par-

tium nutritio patietur, si arteriae, et nervi valde premantur, quorum imperium ad persolvendas functiones mirum in modum influit.

§ 230. Etiam scirrhorum prognosis a caussarum, symptomatum, et effectuum examine deducenda est. Si enim post inflammationes adveniant scirrhi in homine alioquin sano, et juvene; si pars affecta externa sit, et ignobilis, ex qua magna vasa non comprimantur, curatio non erit difficilis, nec erunt timenda mala, quae a vasorum, nervorumque compressione proveniunt. Saepe hujusmodi scirrhi ab ipsa natura subiguntur. Si ex adverso aetas sit senilis, pravaque temperies; in humoribus vitia lateant; pars laborans nobilis sit; vasa et nervi compimantur; ardua erit curatio, et ingens vitae discrimen. Generatim scirrhus recens curatu facilior, inveteratus immedicabilis, nisi evelli possit. Quandoque in corpore quaedam mutationes, et commotiones obveniunt, quae aut utiles, aut damnosae esse possunt. Inquit Sprengelius Pathol.

special.vol.1.§.166.= Comperimus etiam mulierum mammas scirrhosas feliciter discussas esse febre fortuito orta, menstruo sanguinis fluxu restituto, alvo etiam cita, intestinorum difficultate et ipsis febribus intermittentibus. Vidimus alias, quae dum adolescerent, scirrhos mammarum nactae erant, liberari iis coitu, et ipsa graviditate, aut lactentium officio. Quae per diuturnas aerumnas in aegritudinem inciderant, hilariori vitae genere persanatae fuerunt. = Contra scirrhus in cancrum facile vertitur, si in effoetis mulieribus menstrua cessent. Tum enim insignis in muliebri corpore accidit mutatio, et persaepe uteri, et ovariorum vasa inferciuntur; mammae ob consensum cum utero etiam afficiuntur, et non raro scirrhosae fiunt; loca glandulosa tument. Plus semel in monialibus quadragesimum quintum, aut quinquagesimum aetatis annum percurrentibus, scirrhum mammarum aut uteri in cancrum prompte abeuntem vidimus. Sic in hominibus melancholicis, pravi habitus, et haemorrhoidali fluxu

Digitized by Google

carentibus pejorem indolem morbus acquirit. In his enim sanguis, et humores degenerantur, lentiusque per glandulas, et viscera abdominalia circulant, proindeque non solum scirrhosas duritias generant, verum etiam faciunt, ut pejores evadant.

§. 231. Interdum inflammatio, in primis vehemens, in ulcerationem transit. Hac praegressa ulceratur pars, si ichore, aut sanie exedatur. Patet ergo, ulcerationis processum ad destructionem potius, quam ad partium deperditarum redintegrationem tendere. Sanies est liquidum tenue, acre, cinereum, nigricans, cruentum, foetens. Modo alcalinam naturam praesefert, quoniam cum acidis effervescit; modo acidam, quia vegetabilium tincturam rubro colore tingit. Aliquando sanies tam acris est, ut dolores mordaces pariat, et partes contiguas, ac cutim sollicite evertat. Ulcera in sua facie, et marginibus aliquid peouliaris offerunt. Sordescit, et livescit facies, ubi saepe caro luxuriat, et erumpit sanguis. Margines

nunc inflammati sunt, et dolentes, nunc flaccidi, tumentes, pallentes, plerumque erosi, aut callosi. Interdum congelatur sanies, gelatinam constituit, unde carnis luxuries pendet; interdum solidescit, et escharam componit, quae bonae suppurationi obstat. Ex internis stimulis, digestionis vitio, diaetae erroribus ulcera sordescunt, et pejora fiunt. Quidquid inflammatae partis incitationem nimis auget, et pervertit, productioni ulcerum ansam praebet. Expeditius autem inflammatio ad ulcerationem disponitur, si quaedam diatheses adsint, ut venerea, scorbutica, scrophulosa, leprosa; si mala sit temperies, et corporis habitus; si ea in quibusdam partibus obveniat, ut in pedibus, quorum positus est declivis, et in quibus multi sunt tendines. Ulcerum genera ab externis characteribus, a partibus affectis, et a variis cachexiis, a quibus habent originem, deducuntur. Enimvero alia sunt ulcera callosa, alia sinuosa, quae saepe fistulas constituunt; alia sunt ulcera ossium, seu caries, ut pluri-

mum periostii inflammationi juncta; alia sunt ulcera maligna a scirrhis orta, partes glandulosas occupantibus, quae constituunt carcinoma; alia tandem sunt venerea, scorbutica, scrophulosa, leprosa, etc. In horum omnium ulcerum diagnosi, prognosi, et curatione, praecipue chirurgia versatur.

§. 232. Altera inflammationum successio non infrequens gangraena est. Haec definitur mors partium incipiens, dum perfecta sphaceli nomine venit. Apud veteres eadem reperitur definitio. Inquit Galenus meth. med. ad Glaucon. lib. 2. cap. 2. = Gangraenas autem vocant mortificationes ob magnitudinem inflammationis, non quidem factas, sed quae fiunt. = Hippocrates vitalibus viribus deficientem, et emortuam partem vocavit σφακελοι', et νέκρωσιν. Igitur gangraena, et sphacelus gradu differunt, et saepe ex una ad alterum itur. Dum inflammatio est vehementissima in gangraenam saepe abit. Si haec invadat externas partes, in his rubor intensissimus, et sublividus fit,

earum superficies arida, et nitida, minuitur calor, et dolor; deinde sensus tam deest, ut impressiones non sensiantur, color fit pallidior, fuscus, niger, tumor evadit mollis, flaccidus, sublata pressione non resurgens, prodeunt pustulae acerrimo ichore flavido, aut cruento refertae, quem disruptae emittunt. Si vero internae partes gangraena afficiantur, subitanea praeter rationem symptomatum inflammationis remissio contingit, et aeger melius se habere credit. Dum vero hoc fallaci delectatur statu, vires omnino deficiunt; flagrat sitis; urina est crassa, turbida, foetens; pulsus exigui, inaequales, vermiculares evadunt; vultus teter, et plumbeus; irregulares horrores persentiuntur; sensim algescunt membra; oculi excavantur, caligantesque fiunt; vox exilissima; auditus gravis; accedunt convulsiones, sopores, deliria; faeces, et urinae involuntario dejiciuntur; sudores frigidi manant; subsiliunt tendines; vacillant pulsus, et vita cessat. Interdum gangraena absque inflammatione praegressa

invadit partes, ut in senibus, debilibus, alio morbo confectis, et humorum vitiis laborantibus usuvenit. In hisce enim hominibus in extremis praecipue partibus maculae gangraenosae comparent, quae deinde serpunt; accedunt horrores, profundus sopor, pulsus exiles, inaequales, intermittentes, singultus, subsultus tendinum, mors.

§. 233. Caussae gangraenae vel in debilitate, vel in cohibito sanguinis motu per inflammatam partem quaerendae sunt. In vehementissima inflammatione nimis excitantur vires, hinc cito exhauriuntur, partesque moriuntur. Quandoque inflammatio non vehemens ob aëris vitium, ut saepe in nosocomiis accidit, constitutionem epidemicam, senilem aetatem, pravum temperamentum, ineptam curationem, humorum labem in gangraenam transit. Vitiosi humores vasorum compagem, viresque vitales evertere expedite valent. A stagnantibus, et corruptis liquidis solidae partes etiam durissimae labefactantur. Cruor in sacco dilatatae ar-

teriae stagnans tantam interdum acrimoniam acquirit, ut molles partes destruat: aqua in cavitate aliqua reses non raro putrescit, et hinc viscera in ea natantia putrent, ut evenit in hydrope ascite: si ex hepate, aut pancreate cancro affectis virus in intestina fluat, tormina, et gangraena praesto sunt. In aegris, qui eadem positura decumbunt, compressae partes gangraena afficiuntur. Arteriarum, et cordis morbi, ut polypi, aneurismata, osteogenesis eumdem effectum pariunt.

§. 234. Si gangraena sine praevia inflammatione invadat, ut in senibus, debilibus, alioque morbo confectis obvenit, virium debilitas arguenda est. In extrema senectute ob infirmitatem virium ad minima vasa non propellitur sanguis, hinc praecipue in extremitatibus gangraena adoritur. Quoniam in senili aetate extingui incipit vita in singulis partibus, quae tandem in corde cessat, inquit Bichat in disquisitionibus physiologicis de vita, et morte pag. 151., mortem a circumferentia ad centrum imperium exercere. Praeterea

non solum in senibus deficit robur, elasticitas, flexibilitas arteriarum, sed etiam plurimi canales concrescunt, et ita rigescunt, ut nec dilatari, nec contrahi possint, quod absque inflammatione praegressa gangraenae occasionem praebet.

§. 235. Cognoscere interest, cum gangraenam sphacelus excipiat, utpote brevi serpens, et nisi sollicitam medelam non admittens. Cum vero non semper expedite an sphacelus adsit comperiatur, investiganda sunt quae absque dubio partem omnino demortuam patefaciunt. Partes sphacelo corruptae sensu carent, et motu; tamen interdum actione sanarum partium moventur. Sed exhibent morbi indubia signa, partium corruptarum gravitas, frigus, mollities, flacciditas, foetor cadavericus. In demortuis membris non amplius humores circulant, nec aliae partes suppositae adhuc vivae, ut in gangraena, adsunt, quae calore suo quemdam possint impertiri teporem.

§. 236. Gangraenae praesagium ab ejus specie, et caussis, natura partium

afflictarum, aegrorum temperamento, et aetate, ac statu virium deducitur. Quaevis gangraena, nisi mature adhibeantur remedia, cito serpit; ac sola demortuarum partium a vivis finitimis separatione restituitur sanitas. Lentius gangraena, quae dicitur sicca; celerius illa humida nuncupata procedit. Si caussae externae sint, aptis auxiliis gangraenae progressus impeditur, et corruptae partes a vivis separari possunt; si internae, morbus plerumque incurabilis est. Si viscera praecipue mollia, gangraena invadat, nulla superest salutis spes. Affectum ab ea cerebrum, hepar, lien, in putridum tabum diffluit. Tamen ex observationibus constitit, non semper viscerum gangraenam fuisse lethalem, praesertim si eorum substantia firmior sit. Haec enim non tam confestim in putrilaginem resolvuntur; atque interdum sperandum est, quod corruptae partes a vivis segregentur, et de corpore educantur. Si pulmones exhibeant gangraenae signa, et sputa gangraenosa prodeant, salus non expectanda; sed si

gangraenosae partes sejungantur a vivis, et per sputa, ejiciantur, sanatio possibilis est. Si morbus occupet loca, ubi humorum illuvies putrefactionem adaugeat, ardua erit curatio. Ocyus ideo gangraenae partium internarum oris, et narium irrepunt, et odorem foetidissimum efflant. In siccis vero partibus lente reptat morbus, sed corruptarum a vivis separatio laboriosior est. Difficiliter in locis sinuosis, ut genitalibus utriusque sexus, curantur gangraenae, ubi timendum est, ne foedatae partes a vivis secernantur, aut, illis sejunctis, ulcera fistulosa remaneant. Gangraena in hominibus scorbuto, hydrope, phthisi pulmonari detentis mortis indicium sitit. Sub maxima virium debilitate fere abscinditur spes, ut in senio. Magis extrema debilitas, quam vires, velociorque humorum motus pertimescendus est. Aegrius enim delabentes vires incitantur, quam minuuntur validissimae. Denique anni tempestas, et atmosphericae qualitates ad felicem vel infelicem morbi exitum non parum con-

tribuunt. Tempore hyemali gangraenae in corpore senili sponte ortae, pejores fiunt; pessimae, quae aestate intensissimas inflammationes excipiunt, aut ab humorum vitiis ortum habent. Inter autem aëris qualitates pejor est calido-humida, sub qua humores ad alterationem concipiendam procliviores fiunt.

§. 237. Sphaceli prognosis a symptomatum et caussarum examine praecipue pendet. Adsunt aliquando signa illius progressum, et mortem proximam denotantia. Si morbus superiora petat, afficiatque vitalia, delirium, vigilia, animi deliquium accedunt. Si morbus intra limites moretur, nec superiora aggrediatur, desunt signa lethalia. Ex caussis aliae celeriorem, aliae tardiorem morbi cursum efficiunt, et majus, minusve discrimen portendunt. Etenim in corpore senili sphacelus a torpore natus exitiosus est, sed ejus cursus lentior; in juvenibus robustis, et hominibus mediae aetatis ab inflammationibus vehementissimis productus, celerior est, sed non semper enecat, si ci-

to, efficaciterque cutetur. Si in partibus affectis color lividus, et niger evadat, ulcera arescant; mortem imminere cognoscimus.

§. 238. Inflammationum curatio pro earum varia indole differt. Idcirco, ut quae conveniat, perspiciamus, exquirere in primis est, an inflammatio localis sit, vel generalis; activa vel passiva; benigna vel maligna; sporadica, vel epidemica; quodque sit epidemiae ingenium. Semper vero tentanda est resolutio, aut adsint, aut desint indicia, quae eam spondent. Si inflammatio localis sit, ejus caussa excitans, si fieri potest, auferenda; sin minus aliquo modo ejus vis obtundenda, effectusque temperandi. Si non excitetur febris, localia sunt praecipua remedia. Haec autem alia in acuta inflammatione, alia in chronica esse debent. In prima enim specie locales sanguinis missiones conducunt, quae aut hirudinibus circa affectam partem applicitis, aut cucurbitulis scarificantibus fiunt. Utiles etiam sunt calidae, et emollientes fomen-

tationes; oleosa; et laxantia. Vix interna remedia locum habent, si leves salinae purgationes excipiantur. In altera autem fomentationes herbarum aromaticarum, acetas saturni aut simplex, aut spiritui vini, vel camphorae junctus, fotus sicci cum calidis linteis conferunt. Si commoveatur febris curandi methodus primario morbo consentanea sit. Inflammatio universalis aut activa est, quae vehementibus inflammatoriis symptomatibus, pulsibus duris, et validis praecipue cognoscitur; aut passiva, in qua, licet adsint inflammationis indicia, deficiunt vires, depravati sunt humores, et solida laxa. Ad primam sanguis a venis, et, si natura loci sinat, etiam ab arteriis mittendus est. Prius magna vasa secari debent; nam quo majora sunt, ampliusque vulnus, eo promptius a partibus affectis revellitur sanguis, et resolutio obinetur. Si inflammationis effectus maneant, trahendus mox est sanguis a locis morbo propinquis, ut illius affluxus derivetur, quod ope hirudinum, et scarificationum fieri solet.

Digitized by Google

Quoniam in resolvendis inflammatoriis affectibus tam revulsio prodest, adhibeantur eccoprotica refrigerantia, et subacida, quae leviter alvum ducunt, et calorem temperant, ut pulpa cassiae, tamarindorum, cremor tartari. Emetica nocua sunt, nisi vermes in ventriculo stabulantes, aut sordes, aut aliquod miasma, aut epidemiae constitutio ea exposcant. Tum imminuta prius sanguinis quantitate, eligantur leniora. Anteaquam vero sive purgantia, sive emetica porrigamus, quae sunt viscera inflammatione affecta, inquirere est. Etenim si ventriculus, et intestina inflammentur, ab hisce medicamentis tam exasperantur symptomata, ut lethalia fiant. Emollientes clysteres ad extrudendas sordes sufficient, qui etiam juvant, ubi purgantia, et emetica administrare fas sit. Alia, quae sanguinem revellunt, emolliunt, laxantque fibras, ut fotus calidi, balnea tepida manuum, et pedum, aut quae pravos humores extrahunt, et nimiam liquidorum densitatem solvunt, ut cantharides, sinapismi, omit-

tenda non sunt. Cum vero cantharides aliquid volatile, et acre in sanguinem immittunt, quod dum solvit, partes irritabiles, et sensiles extimulat, ut ad languidas vires incitandas expediunt, ita nocent, si vasa adhuc nimis plena sint, magna nervorum sensilitas, vehemens febris cum calore, siti, vigilia, spasmis, et sanguis solutus. Epispastica autem secundum morbi sedem modo proxime, modo procul ab affectis partibus admovenda sunt.

§. 239. Ad calorem, et febrilem motum mitigandum, dimovendumque stimulum aqueae potiones, et aqua ipsa conducunt. Interdum, sanguinis missionibus institutis, hae potiones curationem adimplent. An vero frigida, vel calida potio expediat, praefiniendum est. Esto frigida, si aetas juvenilis, anni tempestas praecalida sit, sanguis ferveat, humores sint tenues; calida, aut tepida, si fibrae nimis rigentes, irritabiles, et spasmo affectae relaxandae, et emolliendae sint, humores solvendi, et per sudorem, et sputa eliminandi. Potiones acescentes, refrige-

rantes, farinaceae, edulcoratae, ut citreae, emulsiones seminum frigidorum, decoctiones hordei, graminis, quibus nitrum, si humorum tenacitatem resolvere oporteat, misceri solet, saepe juvant.

§. 240. Non raro, adhibita antiphlogistica methodo, delabuntur vires. Ideo ad has incitandas, penitusque morbum resolvendum, camphora, chermes minerale, radix polygalae virginianae, et alia similia usurpari solent. Haec vero indiscriminatim exhiberi non possunt; siquidem aliquando tanta sensilitate aegri pollent, ut hujusmodi stimulos non patiantur. Interdum etiam anodyna, et opiata, cum dolores, et convulsiones saeviant, locum habent, dummodo per venae sectiones fractus sit inflammationis impetus. Praeterea curandum est, ut aër sit purus, et temperatus, victus tenuissimus, et validae animi affectiones sedulo vitentur. Vinum nunquam convenit, nisi in summo defectu virium, et in illa humorum degeneratione, quae vulgo dicitur putrida. In hac etiam cardiaca, et antiseptica utilia

sunt; siquidem morbus alium assumpsit characterem. Denique ad inflammationem passivam, et malignam methodus incitans opem fert, ut supra innuimus.

§. 241. Acutus hydrops vel est, ut diximus inflammationis comes, dum scilicet, ea vigente, serum exudans colligitur; vel est illius exitus, si, subacto morbo, remaneat. Primus, ut primarius morbus, sanguinis missionibus sanatur. Hoc modo, inflammatione devicta, imminuitur etiam, discutiturque hydrops. Alter diureticis remediis curatur, nimirum scilliticis, digitali purpurea, cremore tartari, aliisque, de quibus fusius, cum de hydrope agendum erit.

§. 242. Si suppuratio succedat, vitales motus ad absolvendam puris secretionem necessarii serventur, aut concitentur. Hi vero immodici esse non debent, secus non bona suppuratio, sed potius gangraena sequeretur. Ars ideo eos ita gubernet, ut nec excedant, nec deficiant. Cum vel augendi, vel minuendi, vel servandi sint, symptomata indicant. In ex-

terna suppuratione caloris gradus, in interna febris praecipue perpendenda est. Si enim modicus sit calor, dolor, rubor, sensimque augeatur tumor, quis non videt, moderatos esse motus, ideoque sustinendos? Si vero febris sit vehemens, multa sitis, oris siccitas, pulsus durus, aeger delirans, refraenandi. Si ex adverso omnia langueant, lentusque sit suppurationis processus, incitandi certe sunt.

§. 243. Si inflammatio in aliqua externa parte in suppurationem abeat, integumenta relaxari, emolliri, et tenuari debent, quo puris exitus aut sponte, aut arte paratus facilior sit. Adhibeantur ideo cataplasmata, et emollientes fotus, qui epidermidem, ac cutim macerant, dum pus caveae superficiem exedit, tabefacitque. Interdum emollientibus substantiae aliquantisper acres adjunguntur, ut fermentum panis, mel, etc. quae macerata integumenta prompte consumunt. Hac ratione saepe abscessus sponte rumpuntur; sed si hoc non eveniat, incidendi. Donec vero suppuratio absoluta non sit, tu-

mor aperiri non debet. Si quis maturationem tumoris non expectat, dolor, et periculum augetur; siquidem vasis sanguineis, nervis, et fibris muscularibus nonnunquam infertur laesio. Incepta puris formatio, et collectio totius tumoris maturationem sollicitat. Durities, quae interdum in abscessuum ambitu remanet, haud impedit, ne hi pertundantur, cum pleraque pars suppurata mollescat. Perquirenda itaque sunt signa, quae aut inceptam, aut absolutam suppurationem ostendunt. Si ex mollitie, fluctuatione, albedine abscessuum maturitas deprehendatur, exitus puri parandus est; secus ob loci calorem, diuturnamque moram hoc degenerat, tenuius, acriusque fit, et in ichorem desciscit. Hinc eroduntur circumposita solida, et per auctam corruptelam ipsius puris quantitas adaugetur. In suppurationibus tunicae adiposae, si pus acrius evadat, facili negotio sibi sinuosas, novasque vias sternit, et saepe ex uno in alium locum convertitur. Sic circa rectum intestinum abundanti pinguedine

circumdatum ex pure diu detento sinus, et fistulae nascuntur. Quamvis vero confecto puri conciliari debeat exitus, tamen in magnis abscessibus tutum non est omnino educere pus, partes et vasa non parum comprimens. Si enim subito haec pressio tollatur, sequi potest animi deliquium, et mors. Dum autem aliqua puris portio relinquitur, curandum est, ut è propria cavea libere exeat; quod obtinetur, si apertura patula servetur, et in apto positu aeger accumbat. Hac ratione sensim depuratur cavea, partesque solidescunt. Ubi educitur pus, post viginti quatuor horas, aut minus aliud colligitur, quod extrahi debet. Ut apertura abscessus aliquandiu pateat, et absque impedimento exeat pus, ea linteis carptis, et plumaceolo tegenda est. Splenia ideo, et fasciae non aperturam, sed potius propinquas partes comprimant, ut versus eam pus dirigatur. Hisce autem institutis, ea expediunt, quae pro re nata in vulneribus locum habent.

§. 224. Si inflammationem sequatur scirrhus, antequam adhiheamus remedia, inquirendum est, an discuti possit, ne pejor evadat. Spes resolutionis adest, si ille recens sit, raro totam glandularem substantiam afficiens, et concretus humor in irresolubilem duritiem non adhuc abiverit; si sit benignus, scilicet indolens, nec valde extensus, et durus, cujus integumenta naturalem servent colorem, nec ullus adsit pruritus. Tum remediis resolventibus, quae vasa pervia pervadere, et humorem concretum excutere possunt, tentanda erit curatio. Si ex adverso scirrhus per plures menses aliquam partem occupet, plerumque resolventia inefficacia sunt. Si autem sit malignus, nimirum cruciet dolor, durities sit lapidea, superficies aspera, resolventia etsi levissima nocent; siquidem ab eorum irritatione morbus malignior fit. Praeterea si in humoribus vitium lateat, ex quo scirrhus proficiscitur, obtineri non potest resolutio.

§. 245. Si ad resolvendos scirrhos curationem instituamus, adhibeantur e-

mollientia, quae vasa relaxant, et resolventia, quae sine multa irritatione, motusque augmento, concretos humores discutiunt. Affecta igitur pars vapori aqueae tepidae est exponenda, dein molliter perfricanda, et remediis emollientibus, et resolventibus illinienda, aut emplastro iisdem medicamentis composito cooperienda. Opportunum igitur est emplastrum ex mica panis et lacte, in quo sapo venetus solutus sit. Interius etiam prius resolventia lenia, mox validiora usurpentur, ut succi plantarum resolventium, serum lactis cum decoctione graminis, aquae thermales, cicuta, sapo eventus, gummi ammoniacum. Si hisce remediis non submittatur morbus, argentum vivum in reseranda duritie efficacissimum tam exterius, quam interius experiri possumus, dummodo ille benignus sit, et recens. Etenim per remedium humorum motum augens, et salivationem producens malignus scirrhus, aut ad malignitatem proclivis, citius mutatur in cancrum. Hoc etiam fortiora mercurialia ope-

rantur. Ubi morbus resolubilis sit, admoveri potest emplastrum de ranis cum mercurio, modo salivationem non suscitet. Si igitur per hoc gingivae irritentur, doleant, tumeant, auferendum.

§. 246. Si proposita auxilia opem non ferant, ne inutiliter tempus conteramus, eximatur scirrhus, si pars affecta sinat, ne diutius relictus in cancrum abeat. Si enim longius protraheretur extirpatio, difficilior, et saepe impossibilis redderetur; nam augetur morbus, et per vicinas partes extenditur. Dum extirpatio fit, prorsus abripiatur scirrhosa durities; secus portio remanens mox in cancrum transit. Quamobrem prius quam extirpationem exequamur, necesse est, ut nobis constet, qui sit scirrhi locus, ejusque conditiones, quae partes vicinae. Locus enim talis esse debet, ut chirurgus manu et instrumentis agere possit; scirrhus sit ubique mobilis, nec partibus suppositis, vel ambientibus adhaereat, solitarius, vel si plures scirrhi adsint, resolvi possint, aut ferro adimi; vires valeant, nec in

humoribus latitent vitia; ad vicinas partes magna vasa non ferantur; aliter magnum foret periculum, licet expertissimi operantes ab istis partibus absque damno scirrhos eripuerint. Aliquando scirrhus mobilis est deorsum, et ad latera, sed sursum cuti affigitur, quod cognoscitur, ubi cutis elevari non possit. Id vero operationi non obsistit; siquidem scirrhus et cutis insimul rescinditur. Majus inde erit vulnus, et ob deperditam cutim turpior cicatrix. Extirpatio autem periculosa est, si fatiscant aegri vires; nam timendum est, ne, superveniente dolore, spasmo, aut haemorrhagia, ipse pereat. Ut inutilis foret, si in humoribus vetera, et non emendanda vitia serpant, a quibus morbus originem habuit. Tamen si instet periculum, scirrhosum tumorem cito in cancrum esse abiturum, melius est ablationem, licet periculosam experiri, quam certum, et funestum finem expectare. Variis modis extirpatio fit, sed ferro scirrhos adimere praefertur. Duplici autem ratione instituitur sectio, scilicet aut dis-

sectis prius integumentis totus inde scirrhus extrahitur, aut una cum integumentis totus resecatur. Prima ratio, quae tutior est, in auferendis minoribus scirrhis, et undique liberis adhibetur; altera in ingentibus cuti accretis, ut in mamma, si tota scirrhosa sit, ideoque extirpanda. Ad chirurgiam pertinet, modum, et praecepta tradere, quibus hujusmodi operationes absolvuntur.

§. 247. Si extirpatio scirrhi fieri non possit, cum inveteraverit morbus, integumenta rubeant, aut livescant, duritia sit lapidea, superficies aspera, pruritus molestet, quem excipiat dolor, humores cacochymia infecerit, quid faciendum superest? Quoniam remedia, etsi mitissima perniciosa sint, nil conducibilius, quam efficere, ut in eodem statu morbus perstet, ne in pejus ruat. Conveniunt itaque quae quamcunque irritationem removent, et pacatiora reddunt symptomata. Quo autem scirrhus deterior non fiat, et suis contineatur indumentis, non solum irritantia, et erodentia respuenda

sunt, sed etiam ipsa emollientia, et suppurantia, quae ita indumenta attenuant, et macerant, ut, hisce ruptis, ocyus in cancrum ulcerosum scirrhus transeat. Incurabilis ergo scirrhus aut non curandus, aut ad eum eligenda, quae temperant symptomata, pejoremque morbi statum repellunt. Si itaque lancinantes dolores, aut pruritus excruciet, anodyna tam interius quam exterius adhibita levamen afferunt. Si partis affectae integumenta aut ad inflammationem disponantur, aut inflammari incipiant, remedia saturnina prudenter apposita inflammationem compescunt. Praeterea a tumoribus scirrhosis quaevis pressio, et attritus etiam vestium sedulo amoveatur. Idcirco pellibus mollissimis tegendi. Cavendum quoque est, ne exercitationibus corporis, et motu partium exasperetur morbus, ut accidere potest in scirrhosis mammis musculi pectoralis actione. Caetera auxilia nocua sunt, si interdum mitiora mercurialia excipiamus, dummodo solerter usurpentur, et salivatio-

nem non moveant. Pro victu olera mollissima, juscula carnium recentium, cerealia, ova recentia sorbilia, maturi fructus horaei eligantur. Pro potu idonea est hordei decoctio, aut lac aqua dilutum. Si in humoribus extent vitia, ut cachexia scorbutica, decoctiones herbarum antiscorbuticarum, solventium, edulcorantium juvant, ut endiviae, cichorei, fumariae, nasturtii aquatici, etc. Denique servanda est animi quies; et ad morbosas corporis conditiones emendendas aëris mutatio plurimum valet.

§. 248. Curatio gangraenae in adhibendis remediis putredini adversis, et in roborandis viribus ponitur. Verum morbi caussa, aegri aetas, temperies, anni tempus, virium status peculiarem animadversionem merentur. Alia enim remedia conveniunt in senibus, alia in juvenibus, et robustis; alia in temperie biliosa, et calida, alia in frigida, et lymphatica; alia tempore aestivo, alia hyemali; alia dum vires vigent, alia dum languent. Ideo pro re nata nunc

perfrigerantia, nunc calefacentia nunc diluentia, aperientia, nunc acida, nunc incitantia, et cardiaca usurpanda sunt. Quamvis igitur ut plurimum aptiora sint cardiaca, et antiseptica, praecipue cortex peruvianus, camphora, scordium, serpentaria virginiana, arnica, marrubium, absynthium, flores chamaemeli, tamen secundum morbi conditiones alia petenda sunt auxilia. Acida, in primis si vitia extent in humoribus, quae ad putredinem disponant, voluptati, et emolumento aegrotantibus sunt. Si vero langueant vires, ut in senibus, cardiaca, et roborantia praestant; si pulsus sint debiles, frigescat corpus, maxime in extremis partibus, incitantia expediunt; si ex adverso pulsus sint fortes, magni, duri, calescat corpus, urina colorata, et rubra, sanguinis motus incitantibus augendus non est; si vires non tam vigeant, et levis stimulus ad incitanda vasa, et attenuanda liquida sit opportunus, decoctiones radicis bardanae, aut scorzonerae utiles sunt. Si viscerum actionem, et cor-

dis vires concitare opus sit, etiam exterius admoveri possunt incitantia, et aromatica, praecipue illis partibus ubi multa sunt vasa absorbentia, pluresque nervi, qui cum visceribus vitalibus consensum habent. Pro victu optima sunt jura carnis vitulinae, in quae inditus sit citri succus. Devicto morbo, suppeditentur alimenta, quae facile concoquuntur, et abundantem materiem alibilem continent. In hisce vero exhibendis aetati, et consuetudini respiciendum est.

§. 249. In gangraenis curandis saepe omitti non debent, quae ex chirurgico fonte desumuntur, praecipue si morbus partes exteriores invadat. Saepe enim juvant fotus, et cataplasmata emollientia, quibus aromatica aliquando immiscentur, quae corruptioni resistunt, et stagnantia resolvunt. Saepe etiam sacrificationes conveniunt, maxime si panniculus adiposus in quo gangraena sedet, crassior sit. Hisce enim extruditur corruptum, et expeditius admittitur, quod putredini adversatur, ejusque progressum impedit.

Digitized by Google

Scarificationes vero fieri debent in partibus demortuis, dummodo vivae propinquae non laedantur. Ubi partes gangraenosae integras valde comprimant, juvant cucurbitulae, quae dum pressionem auferunt, efficiunt, quo vasa liberius explicari possint, proindeque restituatur humorum circumductio. Admoventur etiam cucurbitulae partibus gangraenae propinquis, ut augeatur humorum concursus, et hinc separatio partium corruptarum a vivis obtineri possit. Item applicatio hirudinum interdum prodest; nam dum sanguinem sugunt, imminuitur resistentia, unde majori copia, et impetu sanguis ad affectam partem feratur. Similem effectum cucurbitulae scarificantes producunt. Applicantur praecipue hirudines, si aegri scarificationes recusent, et locus cucurbitulas non admittat. Harum autem applicatio partibus gangraenae proximis fiat; nam partem corruptam, et mortuam ut plurimum non mordent.

§. 250. Externis partibus gangraena affectis saepe aromatica, et antiseptica ap-

ponere praestat, ut sal, acetum, vinum, spiritus vini, decoctiones et infusa scordii, absynthii, salviae, corticis peruviani. Eodem tempore interna remedia exhibeantur, quae suo stimulo motum humorum augeant, ut infusa ligni sassaffras, rutae, corticis peruviani, etc. Sic porrigantur cardiaca, inter quae vinum eminet. Jucundissimae, et utiles sunt potiones cum succo citri, maxime si adsint signa humorum depravationem indicantia. Cum in senibus a torpore nascatur gangraena in externis partibus, frictiones vasorum actionem excitare valent. In casibus vero ubi nimis distenduntur vasa, convenire minime possunt.

§ 251. Hac ratione saepe in partibus affectis vita redit, quae jam credebatur extincta. Liberior enim fit humorum circulatio; liquida stagnantia adhuc intra vasa non corrupta commoventur, et cum aliis humoribus circumducuntur, unde vita restituitur. Ut autem bonum, vel nullum remediorum effectum discernamus, frequens observatio sufficit. Nam

Digitized by Google

si color in lividum, et nigrum commutatur, si mollities, et flacciditas augeatur, quod liquida extravasa effusa denotat, vita redire non potest. Cum gangraena absoluta sit, demortuae partes exiccantur, ac inde fit crusta coriacea, quae eschara gangraenosa dicitur. Sub partibus vero demortuis, et sub hac crusta jacent partes adhuc vivae, per quas liquida circumeunt. Quam ob rationem irritari non debent partes, quibus haeret vita, ne nova producatur inflammatio, cito in gangraenam abitura. Totum igitur artis molimen in auferendo partem demortuam a viva consistat, ne haec etiam gangraena afficiatur, et corrumpantur vicinia. Idcirco curandum est, ut prompta accidat suppuratio, et eschara gangraenosa emolliatur. Necesse hinc est, ita motum vitalem regere, ut major, quam in sanitate sit, sed haud nimis excedat; benignitatem humoribus conciliare, et praecavere putredinem. Cum eschara fiat, et instar corii rigida, ad ejus separationem facilius assequendam, humectanda est, et emol-

lienda. Ut suppuratio in gangraenosis partibus promoveatur, scarificationes usque ad vivum juvant, quibus materies saniosa effluit, et imminuitur pressio, unde corrupta a vivis citius secernuntur. Quo autem promptior hujusmodi separatio fiat, opus est, ut sanguis ad partes vivas copiosius fluat. Hinc utilis est hirudinum et cucurbitularum applicatio, quae ad partem affectam sanguinem attrahunt. Si vero humorum circulatio, et febris nimis valida sit, quae ejus impetum compescunt potius expediunt.

§. 252. Diximus, crustam gangraenosam humectandam, et emolliendam esse, ut liquescat. Verum, ut animadvertit Swietenius, timendum est, ne dum hoc molimur, augeatur putredo. Quocirca admovenda sunt quae emolliunt, et antiseptica virtute pollent, ut cataplasmata ex fragantibus, et antisepticis cum emollientibus herbis composita. Si enim adhiberentur solum aromatica, et stimulantia, partes adhuc vivae irritarentur, parsque affecta indurescerent. Haec vero si etiam emol-

lientibus foveatur, quidquid mortuum est laxatur, et diffluit, ac facillime a vivo sejungitur.

§. 253. Dum ita gangraenae curatio regitur, natura adjuvanda est remediis, et alimentis, quae vires sustineant, bonosque humores pariant. Hoc modo sanguis moderata copia, et impetu per vasa partium vivarum circulans facile crustam fomentationibus, et cataplasmatibus emollitam separat. Nunquam autem per vim avellere debemus gangraenosas partes, quae adhuc vivis adhaerent; sed illas tantum tollere, quae nullam cohaerentiam habent. Si enim flocci gangraenosi adhaerentes avellantur, per nimiam irritationem, praecipue circa tendines, spasmodici affectus excitantur; si vero partes mortuae jam a vivis sejunctae relinquantur, vicinia corrumpuntur. Ita autem laciniae gangraenosae a vivo solutae rescindantur, ut non effundatur sanguis, nec dolor suscitetur, nec gangraenosum tabum absorbeatur, quod nullo negotio eveniret, si cruentum vulnus fieret.

§. 254. Quoniam affectae partis conditiones variant, diversa remedia locum habent. Saepe continuanda sunt cataplasmata emollientia, quae partem fovent, et plusquam fomentationes juvant, quia diutius calorem servant, nec tam exiccantur. Haec quoque prosunt ubi molestat dolor, qui interdum excitatur, dum crustae gangraenosae a vivis locis secernuntur. Hoc in casu emollientibus cataplasmatibus adjunguntur anodyna, quae dolorem retundunt, et mitigant. Cum partes mortuae dividantur a vivis, et limes separationis appareat, malum non amplius serpit. Tamen cataplasmata remediis putrefactioni adversis, et emollientibus composita, linquenda non sunt. Necesse vero non est, tam frequenter apparatum renovare, qui, ubi nihil putridi adsit, per spatium viginti quatuor horarum manere potest. Si enim saepius renovetur, propter actionem aëris in vivas partes crusta grangraenosa non amplius tectas, affertur damnum.

Digitized by Google

§. 255. Cum eschara gangraenosa contrahitur, inter mortuas, vivasque partes nascitur rima. Vasa, quae escharae non amplius adhaerent, emittere quamdam humiditatem incipiunt. Si factae fuerint scarificationes, in earum fundo, ubi prius aderat siccitas, humiditas observatur, quae abstersa, prompte redit. Mox oritur suppuratio; bonum vero pus non apparet, sed ichor subrubens, qui gangraenoso humori immiscetur. Paullatim conficitur bonum pus, et imminuitur gangraenosus ichor. Partes, quae non amplius crusta gangraenosa teguntur, rubent, calent, dolent, tument, ut quae adhuc vivae crustae subjacent. Tandem eschara jam mobilis decidit, et vulnus remanet cum substantiae jactura. Necesse igitur est, ut deperdita substantia reparetur. Ut cito decidat eschara, laxantia, et emollientia utilia sunt. Raro affecta pars detegatur, quae in quiete maneat. Ubi autem balsamica, et alia pro ulceribus opportuna conveniunt, chirurgia docet.

§. 256. Praemissis generalibus, quae ad inflammationem, ejusque successiones pertinent, ad inflammationes partium, et viscerum descendamus, quae quoad signa prognosin, et curationem saepe inter se differunt. Has in quinque ordines reducimus, quorum primus capitis, secundus juguli, tertius pectoris, quartus abdominis, et pelvis, quintus articulorum, et artuum inflammationes complectitur. Hac ratione de praecipuis inflammationibus, quantum per nos licet, pertractabimus.

Digitized by Google

ORDO PRIMUS

Inflammationes capitis.

GENUS PRIMUM

Encephalitis.

§. 257. Cerebri, cerebelli, meningum inflammatio encephalitis nuncupatur. Graeci, quasi mentis morbus foret, eam appellarunt phrenitidem, desumpto nomine ab ipsa mente, quae Graece dicitur φρὴν. Hac denominatione Hippocrates, Celsus, Galenus, Caelius Aurelianus, Aetius, Alexander Trallianus, aliique veteres, pluresque recentiores usi sunt. Quoniam vero Hippocrates alias etiam aegritudines hoc nomine indicavit, ut in 94. coac. melancholicos, tremulos, ac saepe sputantes vocat phreneticos; et in 76. coac. dementias cum tremoribus, et crebra contrectatione phrenitides appellat; quoniam plures auctores, inter quos

Petrus Franchius adnumeratur, inflammationem cerebri sine mentis vitio observasse testantur, optimo jure plerique recentiorum encephalitidis nomen praetulerunt. Nonnulli autem sunt, qui inflammationem meningum, ob delirium, quod infert, phrenitidem; illam substantiae cerebri encephalitidem nominant. Verum aut in meningibus, aut in substantia cerebri inflammationis initium sit, rarissimum, et fere impossibile est, quod ea per viciniam non extendatur. Praeterea incerta sunt signa, ex quibus, an meninges, vel cerebrum afficiatur, deprehendere arbitramur. Idcirco aut meningum, aut cerebri inflammationem cum plerisque encephalitidem appellandam esse censemus. Attamen non omittemus exponere signa, quae potius unam, quam aliam cerebri partem affectam probabiliter indicant, et encephalitidis varietates definiunt. Haec enim varia esse debent, prout cerebrum, ejusve velamenta, arachnoidea non excepta, inflammantur. Inspectione enim cadaverum reperta sunt

in hac membrana inflammationis indicia, ejusque vasa sanguine turgida. Siquidem spinalis medulla etiam interdum inflammatione laboret, aliquid de ea tradere non praetermittimus. Haec vocatur spinitis.

§. 258. Encephalitis in primariam, symptomaticam, et secundariam dividitur. Primaria nascitur a cerebro primitus affecto, et in hominibus obvenit aliunde sanis; symptomatica, quae frequentior est, ab aliis existentibus morbis ortum habet, ut ab acutis febribus, pleuritide etc.; secundaria provenit ab antiquis morbis capitis, aut aliarum corporis partium, ut a chronica vertigine, mania, epilepsia, affectione rheumatica, et arthritica. Dividitur etiam in veram, et spuriam. Prima cum febre inflammatoria conjungitur; secunda cum nervosa, et malignum induit characterem, aut cum gastrica, et plerumque est erysipelatosae naturae. Interdum gastricae sordes circa praecordia collectae functiones cerebri perturbant; sed non inflammatur viscus, et illis eje-

ctis, prompte redit functionum cerebralium integritas. Interdum vero aut ob propagatam irritationem, aut ob impuritatum absorptionem cerebrum inflammationem concipit. Tandem encephalitis, quae capitis laesiones sequitur, ut ossium fracturas, depressionem, cerebri commotionem, etc. traumatica dicitur.

§. 259. Encephalitis primaria a quibusdam signis saepe praenuntiatur, ut sunt internus capitis dolor, cerebrum fere perterebrans, qui nonnunquam per colli, et dorsi vertebras extenditur; calor capitis ingens; colli, et temporum arteriarum pulsatio vehemens; faciei, et oculorum rubor; horroris et caloris vicissitudines; somni inquieti, et horrendis imaginibus abrupti; desipentia levis; vigiliae; moeror, aut hilaritas, et in risum proclivitas; subitanea rerum oblivio; audacia, et ferocitas insueta; oris, et linguae siccitas; vomitus pituitosus, aeruginosus; urinae suppressio; respiratio profunda; pulsus irregularis. Haec foenomena magno impetu, et copia sanguinem in

vasa cerebri impelli, ejusque functiones turbari, et imminentem esse inflammationem ostendunt. In infantibus persaepe observantur insolita austeritas, et morositas; vigilia; somnolentia; somnus inquietus, turbulentus, pavoribus interceptus; inquietudo; alvus obstructa; interdum ventris inflatio; oris siccitas et nulla sitis; capitis ardor; nullum cibi desiderium, aut voracitas, quam in infante unius anni Joseph Franchius vidisse testatur.

§. 260. Etiam encephalitis symptomatica, et secundaria quibusdam signis saepe enuntiatur, quae in decursu morborum comparent. Haec sunt faciei, et oculorum rubor; inconsueta ferocitas; vigiliae; lingua arida, et nigra, et nulla sitis; alvi, et urinarum suppressio; faeces albae; urinae pallidae, decolores, tenues, aut cum nubecula nigra; mentis alienatio. Encephalitis symptomatica, plerumque lethalis, quae, ingravescente pleuritide, aut alia pectoris inflammatione, in qua respiratio impeditur, evolvitur, praecipue a delirio praenoscitur. In en-

cephalitide secundaria apparent saepe signa affectionis inflammatoriae cerebri, dum evanescunt morbi alicubi haerentes. Si extemplo dolores pectoris, vel alterius partis subducantur, non raro perturbatur mens, et alia signa instantis encephalitidis se offerunt. Etiam in traumatica quaedam observantur praenuntia signa, ut morositas, somnolentia, somni perturbati, insueta ferocia, oculorum rubor, pulsus vesperi duriores, et concitatiores. Haec symptomata post aliquot dies invalescunt, et encephalitidem constituunt.

§ 261. Signa, quae interdum sine praegressis prodromis encephalitidem primariam sistunt, sunt febris acuta, et ardens cum rigore plerumque orsa, quem aestus excipit flagrans; dolores capitis terebrantes, immanes, assidui; pulsus prius duri, concitati, mox debiles, inaequales, tremuli, interdum molles; magna arteriarum carotidum, et temporalium pulsatio; respiratio modo rara, et magna modo creberrima, et violenta; facies ru-

bra, aut atro-rubra, horrenda visu; idearum confusio; somni inquies; delirium sensim increscens, aut statim ferox; universalis inquietudo; oculi protuberantes, truces, convulsivis motibus acti, lucem refugientes, solum scintillas et flammas aspicientes; eorum deinde aspectus magis ferox, et cruentus; pupula contracta; aures quemvis sonum non tolerantes, susurrum et tinnitum continuo sentientes; lingua aspera, nigra; vox rauca, clangosa; cutis calidissima, ruberrima, aridissima; urina rubra, clara, sine sedimento, aut aquea, dum convulsiones, et spasmi praesto sunt; aliquando aphonia, singultus, sanguinis stillicidium è naribus. Procedente morbo, summa adest virium jactura, anxietas, frequentia suspiria; aegri vigilant simul et sopiuntur, expergefacti inordinata et inepta respondent, aut comate premuntur. Haec sunt generalia encephalitidis constituentia signa; quae vero hanc esse meningeam declarant, in primis sunt cephalalgia immanis, vaniloquium; tertia die delirium fe-

rox, ut in mania; nervorum distensiones; singultus; interdum vomitus biliosi, et porracei: si autem inflammatio substantiam cerebri maxime invadat, non adest delirium ferox, sed visceris pervertuntur functiones; obruuntur externi sensus; perturbantur musculorum motus; non raro aliqua partialis paralysis accedit; pulsus sunt parvi, irregulares.

§. 262. Siquidem nonnulla ex symptomatibus saepe magis adnotabilia sunt, ut cephalaea, delirium, sopor, tremor, quae peculiarem formam impertiunt morbo, Joseph Franchius in cephalalgicam, phreneticam, lethargicam, et tremefacientem distinxit encephalitidem. In cephalalgica praeter generalia symptomata immitis urget cephalaea totum caput, aut aliquam ejus partem occupans. In infantibus cognoscitur morbus ab ingenti capitis ardore; universali inquietudine; continuo vagitu; alvo adstricta; vomitu cum dextri hypochondrii tensione; frequenti narium, et oculorum fricatione; indumentorum intolerantia; convulsionibus;

Digitized by Google

sopore. Encephalitis phrenetica praecipue distinguitur a delirio feroci, et perpetuo; ardentissima febre; brevi somno; recordatione illorum, quae valide ante morbum affecerunt mentem, sicut accidit abderitis, adnotante Swietenio, qui cum Andromedae tragoediam audivissent, sub decursu encephalitidis recitabant jambos, eamdemque fabulam flebiliter canebant. Haec autem recordatio una cum morbo recedit. Interdum hujusmodi inflammatio larga sanguinis profusione è naribus, aut copioso sudore solvitur. Ab hac infantes rarissime plectuntur. In lethargica encephalitide profundus opprimit sopor, quem praecedit cephalaea, respiratio magna, vox rauca; oculi sunt rubri; manus capiti admoventur; colliguntur flocci; tendines subsiliunt. Huic morbo magis infantes, senes, et cerebri commotionem perpessi subjiciuntur. Encephalitis tremefaciens paucis verbis ab Hippocrate 108. Coac. descripta videtur = Αἱ τρομώδεες, ψηλαφώδεες, παρακρούσιες, φρένιτικαί. Mentis emotiones tremulae, contrectantes,

concutientes phreneticae sunt. = In hoc morbo cephalaea, pulsuum variatio, corporis agitatio, idearum confusio, manuum tremor, subsultus tendinum, sudores frigidi et foetidi, dextri hypochondrii tensio, et aliquando singultus occurrunt. Haec divisio encephalitidis accomodatior est; nam omnes ejus species ad expositas formas plerumque pertinent.

§. 263. Encephalitis traumatica, quae quavis aetate ab externis violentiis oriri potest, vel in meningibus, vel in substantia cerebri praecipue sedet. Si in meningibus, antecedunt somnolentia; morositas; somni imaginibus, pavoribusque interrupti; oculorum ferocitas, et rubor; pulsus duri, concitati: deinde saevi capitis dolores; delirium modo ferox, modo mite; intolerantia lucis; pupulae contractio; tinnitus aurium; sternutatio frequens; aphonia; interdum vomitus porraceae bilis; virium jactura; convulsiones premunt. Si in substantia cerebri, stupores; sensuum oppressio; pulsus intermittens praegrediuntur: mox se exerit febris

mitis, indolem typhodem induens, cum dolore capitis, levi delirio, aucta oculorum sensibilitate, vomitu bilioso; vires tam dejiciuntur, ut paullo post aegrotantes occumbant. Interdum haec inflammatio non vix inflicta plaga, sed pluribus transactis hebdomadis evolvi observatur.

§. 264. Nonnunquam encephalitis sub lenta forma infantes adoritur. Ejus cursus lentissimus est, et varia infert symptomata. Infantes fiunt tristes, morosi, soporosi; magna difficultate incedunt, vacillant, stationem non tolerant; somni inquietudine, et obscuris capitis doloribus laborant; facies interdum rubra, et frons calidior ac sudatiunculis madida; oculi refugiunt lucem; pupula contrahitur; quemvis sonitum non sustinent aures; inappetentia; nulla sitis; aegri si sedeant, reclinant caput; interdum evomunt porraceam bilem; nares, quae aridae sunt, ob pruriginem semper fricant; alvus modo laxa, modo adstricta; pulsus frequentes, duri, contracti, tardi, intermittentes; anhelitus, suspiria; non raro inflatur abdomen sen-

su acutissimo laborans; adveniunt convulsiones, et symptomata, quae a spasmo proficiscuntur; hinc saepe sequitur mors.

§. 265. Encephalitis symptomatica a signis primarii morbi cognoscitur. Encephalitis gastrica, quae probabiliter naturam erysipelatosam habet, non solum deprehenditur a signis affecti cerebri, sed etiam ab illis, quae bilis, vermium, aliarumque saburrarum praesentiam indicant. Ut caeterae inflammationes ejusdem naturae per propagatam irritationem nascitur. Annua constitutio gastricis affectionibus favens; remissiones, et exacerbationes febris; ab egestu intestinorum levamen morbi indolem patefaciunt. Sic agnoscitur encephalitis typhodes, si typhi symptomatibus accedat sopor, delirium, vomitus, sanguinis affluxus ad caput etc. Saepe sub decursu acutarum febrium, inflammationum, exanthematum, aliorumque morborum indubia comparent encephalitidis symptomata, quae vel a consensu partium, vel a metastasi, vel a morbi propagatione, vel ab impedito san-

guinis reditu per venam cavam descendentem oriuntur. Etiam a propriis symptomatibus encephalitides secundariae distinguuntur, quae post fugatos morbos, ut herpetem, podagram, haemorrhoidalem fluxum, salutares diarrhoeas, prodeunt. Hujusmodi inflammationes modo ad unam, modo ad aliam pertinent formam prout cephalaea, delirium, sopor, tremor magis exerceat.

§. 266. Spinitis, seu inflammatio membranarum spinalis medullae, ejusque substantiae a quibusdam symptomatibus comprehenditur. Ut plurimum praecedunt dolores spinae interni, profundi, immanes; qui sub illius motu, et inflexione exasperantur. Deinde accenditur febris, quae interdum aut cum doloribus ipsis, aut antea aggreditur. Pulsus sunt duri, frequentes, fortes; aeger est anxius, et in dorso decumbens. Mox in partibus, quae cum spina consensum habent, foenomena apparent, prout variz est morbi sedes, et intensitas. Si enim in velamentis, et in exteriori medullae substantia

consideat inflammatio, nec in pectore, nec in abdomine, nec in extremitatibus inferioribus tam gravia excitantur symptomata; sed si tota medullaris substantia occupetur, saepe crurum stupor, paralyses, syncope, asphyxia, gangraena partium inferiorum, et mors consequi solet. Ubi autem inflammatio levior est, inter membranas extravasati humores colliguntur; excipit suppuratio; lenta febris, et tabes. Raro morbi resolutio obtinetur. Spinitis, ut encephalitis, in primariam, symptomaticam, secundariam, et traumaticam dividitur. Primaria nascitur ab internis caussis, ut ab humorum vitiis, et rarissime obvenit; symptomatica ab alio existente morbo, ut ab affectionibus gastricis, praecipue biliosis, et verminosis; secundaria ab alio praegresso morbo, ut ab herpete, exanthematibus retropulsis; traumatica ab externis caussis, caeterisque frequentior est.

§. 267. In extinctis encephalitide, aut spinitide modo in meningibus, aut spinalis medullae membranis, modo in sub-

stantia cerebri, et ipsius medullae varia notatu digna perspecta sunt, ut velamenta crassiora, et duriora, et magna copia humoris sanguinei, serosi, gelatinosi, purulenti inter haec et cerebralem, ac medullarem substantiam collecti; dura mater cum cranio, et aliis membranis cohaerens; ejus superficies lympha coagulabili obducta; aut in ea pseudo-membranae, exscrescentiae polyposae, suppurationes, gangraenae, ut etiam in pia matre; substantia cerebri, et spinalis medullae solito durior, et rubens, ejusque vascula vix alias visibilia, sic sanguine turgida, ut arte injecta viderentur; in cerebri ventriculis sanguis, lympha sanguinea, serum, humor purulentus; in lobis materies pultacea, fere sicca, quae collecta speciem tumoris praeseferebat; suppurationes pus viridescens largientes cum ossium carie, quae in diuturnis cerebri suppurationibus interdum obvenit; abscessus in ponte varolii, aut in medulla oblongata; glandula pinealis pure plena, quam in demente, encephalitide de-

functo, solito majorem, et materie albida, crassa, et granulosa refertam invenimus; cerebri gangraena; abscessus in substantia spinalis medullae, qui eam consumpserunt; aut sanies vertebras rodens. Interdum in cadaveribus encephalitide peremptorum etiam in hepate inflammationis signa, aut ejus vasa sanguinea admodum turgida deprehenduntur.

§. 268. Si encephalitis non resolvatur, sedulo attendantur signa, quae diversas hujusce morbi successiones ostendunt, etsi saepe incerta sint, et ambigua. Lentae encephalitidi, infantibus familiari, non raro in cerebri ventriculis serosa colluvies succedit. Tum infans est quietus, si supinus recubet; inquietus, plorans, ejulans, si erigatur; persaepe sopore, aut comate vigili oppressus; pulsus est tardus, irregularis; alvus dura; vox rauca, clangosa: deinde profundior fit sopor; respiratio difficilis; iris immobilis; oculi caligantes, semiaperti, strabismo affecti; accedunt convulsiones; sphincterum officium abolebitur; pulsus

tenuissimi, filiformes evadunt; ac in summa virium jactura extinguitur vita. Cum autem inflammatio cerebri, aut meningum in suppurationem transeat, dolor capitis fit pulsatorius; incipiunt horrores praecipue a parte affecta; opprimuntur sensus, sed maxime laeditur visio; resolvuntur membra lateris afflictae parti oppositi; et alia prodeunt, prout varia cerebri pars afficitur. Si itaque abscessus fiat in ponte Varolii, aut in medulla oblongata, ingentes nervorum distensiones, convulsiones, sopores praesto sunt; si prope aures, pus interdum per eas effluit, proindeque levantur symptomata, et restituitur sanitas. Si vero abscessus in medulla spinali efformetur, pus substantiam ejus consumit, aut sanies vertebras rodit, premit, et irritat nervos, unde acerbissimi cruciatus, crurum paralyses, febris lenta, gangraena, mors. Si duritia encephalitidem sequatur, cessant inflammationis symptomata, sed extat dolor capitis obtusus, et circumscriptus; aegri patiuntur pressionis sensum, somno-

lentiam, stuporem, abolitionem visus, et auditus; accedunt animi deliquia, nervorum resolutiones, paralyses. Tandem si gangraena succedat, cito lethalis est. Inquit Hippocrates aph. 50. sect. 7. = Quibus cerebrum sphacelatum est, in tribus diebus pereunt; si vero hos evaserint, sani fiunt. = Ast secunda aphorismi pars veritati adversatur; nam nec ratione, nec experientia fuit unquam confirmatum, posse cerebri destructionem sanari. Plerumque post vehementissimam encephalitidem supervenit gangraena, quae confestim substantiam cerebri corrumpit, ac in putridum tabum resolvit. Haec ab abolitione sensuum, resolutione membrorum, sopore apoplectico cognoscitur. Aliquando tamen citra ullum evidens signum aliquam cerebri partem gangraena invadit, quae dum de ea minime cogitabatur, in cadaveribus reperitur.

§. 269. Plures sunt encephalitidis, et spinitidis praedisponentes, et occasionales causae. Ad primas spectant aetas juvenilis; in iram proclivitas; humorum

vitia; diuturnae vigiliae; immites, frequentes, assidui capitis dolores; labores, qui incommodam, violentam, et protractam dorsi actionem exposcunt; quidquid liberum sanguinis cursum impedit, aut efficit, ut vasa cerebri, et spinalis medullae sanguine turgeant. Sunt quidam infantes maxime ad encephalitidem proni, ut scrophulosi, ingenio praecoci praediti, epistaxi obnoxii; quidam juvenes, ut studio, et profundis meditationibus dediti; quidam senes, ut haemorrhoidarii. Inter caussas occasionales aliae diversae aetatis propriae, aliae cuivis aetati communes sunt. Excitant enim in recens natis encephalitidem quidam morbi, ut tussis convulsiva, laboriosa dentitio, eruptiones cutaneae praepostere sanatae; pharmaca, quae somni conciliandi gratia exhibentur: in juvenibus, epistaxis cohibita; praematura, et assidua mentis exercitatio; lusus capiti infensi: in adultis, et senibus, animi pathemata, maxime ira; ebrietas; menstruorum, lochiorum, haemorrhoidalis fluxus

suppressio; etc. Caussae autem cuivis aetati communes sunt contusiones, vulnera, concussiones, commotiones capitis, fractura vertebralis columnae; quidam morbi, ut peripneumonia, angina, otitis, ophthalmitis, acre rheumaticum modo cerebro, modo spinali medullae inimicum, erysipelas, scarlatina, morbilli, variolae, febres, vermes, saburrae gastricae; insolatio. Dum enim radii solis vehementer caput aut nudatum, aut metallico pileo instructum feriunt, facile inflammatur cerebrum. Interdum encephalitis populariter grassata est, ut auctores referunt.

§. 270. Cerebri inflammatio ob variam suam formam cum cephalaea, lethargo, delirio febrili, mania, typho, febre verminosa infantum confundi potest. Opus est igitur, ut omnia perpendantur, ne in errorem incidamus. Cephalaea, si inflammatoria sit, ut chronica cerebri inflammatio haberi potest; minime vero si febris, et caetera inflammationis symptomata absint, ut oculorum, et faciei rubor, narium siccitas, etc. Lethargus dif-

fert ab encephalitide, quia motum, et sensum omnem fere adimit cum invincibili necessitate dormiendi. Lethargici sunt decolores, tumidi, lente respirant, eorumque pulsus tarde moventur: encephalitide vero laborantes sunt colore vivido, celeriter spiritum ducunt, et pulsus celeriores habent. Delirium febrile continuum non est, ut in inflammatione cerebri; nam in earum statu, et vigore manifestatur, in declinatione desistit. Mania est delirium ferox, quod febri acutae, et ardenti non conjungitur. Typhus dolore capitis, sopore, delirio, tremoribus saepe stipatur; hinc a quibusdam ut encephalitidis species decernitur. Equidem typhi contagium nervis, et cerebro infensum, non raro hoc viscus inflammat; sed hoc non sufficit, ut habeatur typhus tamquam cerebri inflammatio: sicut scarlatina, et morbilli, quorum contagium faucium, et pulmonum inflammationem infert, tamquam species cynanches, et peripneumoniae considerari non debent. Typhus autem, et encephalitis proprios habent characteres,

qui horum morborum differentiam produnt. Typhus enim est febris contagiosa, saepe epidemica, quae infantibus plerumque parcit, lente ingruit, suumque cursum absolvit; ejus symptomata sunt inter se opposita; ab initio prosternuntur vires; efflorescunt exanthemata; dolor capitis persaepe obtusus; delirium nec continuum, nec ferox, et sub decursu morbi ostenditur, ut sopor, et tremor; symptomata paralytica sub fine apparent, et non nisi agonem versus. Encephalitis non est contagiosa, rarissime epidemica, infantes praecipue aggrediens, rapide ingruens, et sese explicans; ejus symptomata sibi ipsis respondent; non erumpunt exanthemata; dolor capitis acutus, immanis; delirium perpetuum, et ab initio ferox; etiam ab initio sopor, et tremor; nulla virium jactura, nisi sub fine; in vigore morbi symptomata paralytica. Quoad denique febrem verminosam infantum, quae saepe speciem encephalitidis offert, nunquam tam gravibus, vehementibusque symptomatibus irruit, ejusque signa ge-

nuinam morbi indolem, et vermium praesentiam declarant.

§. 271. Encephalitis, et spinitis morbi sunt alea pleni. Etenim inflammatio cerebri primaria tertio, quarto, aut septimo die plerumque enecat. Tamen ubi levior est, hoc temporis spatium superat. Symptomatica etiam magis persaepe extenditur; quamvis interdum citissime vitam eripiat. Ad praesagiendum vero morbi exitum, exploranda sunt signa, quae modo fausta, modo infausta sunt. Sudores copiosi, et universi; epistaxis, vel abundans haemorrhagia è venis haemorrhoidalibus, et uterinis; diarrhoea copiosa; urina sedimentosa ad prima spectant: nam dum eveniunt, pulsus fit mollior; febris, delirium, surditas minuitur; placidus, et reficiens somnus accedit. Ad altera vero vomitus aeruginosae bilis; faeces albidae; urinae crudae, tenues; frequens, et indecora sputatio in adstantes; stridor dentium; tremor; convulsio; pupula dilatata ad lucem immota; floccorum volitantium venatus; oculi pulveru-

lenti; adipsia; pervigilium; coma; singultus; tendinum subsultus. Si encephalitis non resolvatur, vel serosa colluvie, vel suppuratione, vel duritie, vel gangraena terminatur; aut in alios gravissimos morbos, scilicet, hydrocephalon acutum, maniam, melancholiam, stultitiam, lethargum, catalepsin degenerat. Inflammatio cerebri symptomatica, et secundaria saepe exitiosa est, ut quae a peripneumonia oritur, ut aph. 12. sect. 7. docet Hippocrates = A peripneumonia phrenitis malum. = Sic lethalis est ab ileo nata, et quae quibusdam morbis, ut cephalaeae, maniae, epilepsiae, supervenit. Etiam ab encephalitide traumatica fatales effectus pertimescendi sunt. Hanc enim frequenter colluvies serosa, ossium caries suppurationes, gangraenae excipiunt. Animadvertendum denique est, quod dum feliciter resolvitur inflammatio cerebri, saepe per longum tempus aegri vertiginosi remanent, et intellectuales facultates, praecipue memoria, maximopere eliduntur. Spinitis autem si non discutiatur,

lenta saepe, et chronica fit cum febre diuturna. Succedunt crurum, vesicae urinariae, recti intestini paralyses, quae ab acuto hydrope, suppuratione, vertebrarum carie forsan producuntur.

§. 272. Remedia ad encephalitidem, et spinitidem ab illis non differunt, quae in singulas inflammationes efficacia habentur. Tamen in curatione facienda natura affectae partis, et symptomatum vehementia spectetur. Praecipuum remedium est sollicita sanguinis imminutio, quae vero violentiae morbi, aetati, et constitutioni aegrotantis congruat. Primae sanguinis missiones ex brachio, et pede amplo vulnere fiant; mox vena jugularis, frontalis, arteria temporalis secari potest. Utiliter etiam applicantur cucurbitulae scarificatae, aut hirudines retro aures, temporibus, naribus, vasis haemorrhoidalibus, quibus, educto jam sanguine è magnis vasis, eo magis vasa capitis exonerantur. Ut autem sanguis non tanto impetu feratur ad caput, aegri corpus erectum maneat. Saepe enim accidit, ut encephaliti-

de laborantes, dum lecto incarcerantur, ferociter furant; placidi vero evadant, dum erecto corpore, levibus operimentis tecto, sedent. Abradantur etiam capilli, ut capitis cutis perspirabilis fiat, gratumque concilietur refrigerium. Aeger in obscuro cubiculo decumbat, ubi adsit quies, et aër temperatus ambiat. Adhibeantur levia purgantia, sed praeferantur salina, utpote antiphlogistica. Clysterum etiam emollientium usus omittendus non est. Diluentia, et largae potiones subacidae, nitrosae porrigantur. Praeterea lintea capiti admota aut aqua simplici frigida, aut aceto immixta madida, eodemque tempore balnea calida extremitatum inferiorum opem ferunt. Fracto febris impetu, vesicantia tonso capiti, nisi nimia aegrotantis sensibilitas obstet, et extremitatibus inferioribus apponantur. Quoad autem alia remedia, quae a quibusdam practicis celebrantur, summa cautela requiritur. Alii enim camphoram cum nitrate potassae immixtam laudant; ast camphora, donec sanguis magna vi caput urgeat,

Digitized by Google

usurpanda non est. Alii digitalem purpuream, ob proprietatem, qua pollet, minuendi cordis, et arteriarum actionem praecipiunt; ast digitalis purpurea parvis tantum dosibus, et identidem danda est. Hoc enim pacto, ratione suae proprietatis probabiliter juvat. Alii hydrargyri praeparationibus utuntur, de quibus licet experientiam non habeam, tamen ratio mihi suadet, minime adhibendas esse, nisi praestita antiphlogistica methodo, et dum encephalitis in longum trahitur. Alii, imminutis aegri viribus, arnicam, et polygalam senegam proponunt; sed haec remedia, quae potius in encephalitide typhode apta esse videntur, nisi ablato inflammatorio stadio, nisi pulsus mollis, et debilis sit, aeger aetate provectus, et non plethoricus dari non possunt. Alii, praemissis antiphlogisticis remediis, dum vigilia, et delirium excruciat, opium, opiata, et moschum exhibent; sed haec auxilia nocent, nisi inflammatione devicta, nisi exigua sit febris, et summa virium infirmitas. Si hisce cautelis hora somni

concedantur, plurium horarum conciliant quietem, quae aegrotantibus maximopere juvat. Quaecumque sint administranda remedia, semper sub oculis caussae morbi habendae sunt. Si ex. gr. encephalitis a cohibito haemorrhoidali fluxu nascatur, nil conducibilius, quam hirudines vasis haemorrhoidalibus applicitae: si a materiae rheumatica alicubi prius haerente, mox ad caput translata, nil accommodatius, quam vesicantia parti primitus affectae admota, quorum ope istuc materies revocatur. Cum autem encephalitidis modo narium haemorrhagia, modo universali, et copioso sudore, modo haemorrhoidali fluxu, modo diarrhoea solvatur, cuncti salutares naturae motus explorandi, et vel applicatione hirudinum, vel diapnoicis, vel levibus purgantibus adjuvandi sunt. Cavendum vero est, ne critica symptomata cum symptomatibus morbi confundantur. Etenim non raro inter initia fluit alvus, aut manat sudor, quae mali ominis sunt, et saepe lethalia.

Digitized by Google

§. 273. Si encephalitis symptomatica, aut secundaria sit, scrutari debemus, qui sit morbus, a quo procedit. Si ex. gr. a rheumate, praemisso antiphlogistico regimine, generalibusque remediis, vesicantia, levia diaphoretica, ut exiguae doses tartratis stibii, et potassae conveniunt: si a gastricis sordibus, institutis sanguinis missionibus, praecipue localibus, lenia purgantia, et interdum leve emeticum, quo, ubi biliosae saburrae ventriculum gravent, evanescere delirium, et caetera symptomata observatur, ac praeterea diapnoica utilia sunt: si ab affectione arthritica, praeter sanguinis missiones, et levia evacuantia, balnea calida pedum, sinapismi, vesicantia extremitatibus inferioribus applicita, mitia diaphoretica, et diuretica prosunt. In encephalitide typhode non multum extendi debet antiphlogistica methodus, ac praeter sinapismos, et vesicantia, quae morbis typhodibus expediunt, ut infusa florum arnicae montanae, aut decoctum polygalae senegae, opem ferunt. Tandem pro curatione en-

cephalitidis traumaticae, regulae a chirurgia traditae observandae sunt. Praeter curam vulneris, aliusve capitis laesionis, sanguinis missiones generales, et locales, applicationes frigidae ad caput, mitia purgantia, balnea calida pedum, victus tenuissimus praecipua auxilia sistunt.

§. 274. Etiam spinitis primaria generalibus, et localibus sanguinis missionibus in primis curatur. Hirudines, et cucurbitulae scarificatae circa partem affectam, ac per totam spinae longitudinem applicantur. Hirudines etiam vasis haemorrhoidalibus appositae maxime sublevant. Insuper fotus, et balnea emollientia, lenia purgantia, clysteres emollientes, et quae cordis, et arteriarum actionem minuunt, ut exiguae doses digitalis purpureae, conducunt. Si vero imminuatur febris, morbus in longum trahatur, et paralysis extremitatum inferiorum accedat, negligenda non sunt vesicantia aut ossi sacro, aut prope spinam admota. Pro spinitide autem secundaria, symptomatica, et traumatica valent, quae de

curatione encephalitidis ejusdem speciei breviter exposuimus.

GENUS SECUNDUM

Ophthalamitis.

§. 275. Si oculi structura, ejusque usus spectetur, nil certe in humano corpore elegantius, admirabiliusque deprehenditur. Sed quia diversis membranis, humoribus, nervis, et vasis a cerebro venientibus conflatur, non solum communibus caeterarum partium morbis, sed etiam sui propriis saepe numero disponitur, subjiciturque. Cum vero hujusmodi morbi tam numerosi, et graves saepe sint, ut ad eos cognoscendos et curandos summa doctrina, et experientia postuletur, in pluribus scientiarum universitatibus scholae speciales, et instituta clinica ophthalmica maximo humanitatis lucro sancita fuere. Inter autem tot morbos nobis modo de oculorum inflammationibus, earumque reliquiis summatim agendum erit.

§. 276. Inflammatio oculorum ophthalmitis, seu ophthalmia dicitur. Hoc nomine alii eorum morbi appellandi non sunt, ut quidam sine ratione faciunt. Haec inflammatio plerumque dolore, rubore, tumore, aucta sensibilitate, intolerantia lucis, lacrymarum fluxione, ac interdum febre stipatur. Pro diversa autem inflammationis natura, sede, et intensitate symptomata variant. Subinde urget dolor immanis, aversatio lucis, lacrymatio absque oculorum rubore; subinde oculi rubent absque dolore, aut dolor rubori non respondet; subinde augetur secretio sebi glandularum Meibomii, aut illa lacrymarum, quae tam acres aliquando sunt, ut genas erodant, et per nasalem ductum stillantes aut coryzam, aut continuam sternutationem producant. Haec symptomatum differentia a diversis partibus affectis praecipue pendet.

§. 277. Perspecta praecipue ophthalmitidis natura, vehementia, sede, plures ejus statuuntur species. Dicitur enim pri-

maria, si nascatur a caussis, quae immediate in oculos agunt; symptomatica, et secundaria, si ab alio morbo ortum ducat, unde saepe peculiare nomen acquirit, ut syphiliticae, si a syphilide, scorbuticae, si a scorbuto; scrophularis, si a scrophulis; etc. Si vehemens sit cum febre, nuncupatur acuta; si diuturna, et sine febre, chronica seu habitualis. Est sporadica, quae quosdam corripit, a caussis non similibus orta; endemica, quae ob locales caussas quarumdam regionum propria est; epidemica, quae universaliter grassatur, a caussis similibus producta; contagiosa, quae nascitur a contagio. Est simplex, si sola procedit; complicata, si aliis morbis jungatur. Siquidem ophthalmitis saepe recurrit, modo cum ordine, modo sine ordine periodica, aut vaga dicitur. Est autem interna si internas; externa, si externas invadat oculi partes. Denique est composita, si tam internae, quam externae partes inflammentur.

§. 278. In inflammationibus praecipue internarum partium oculi tres gra-

dus, et in quovis gradu quatuor stadia distinguuntur. Primus gradus dicitur taraxis, seu turbatio, quae est inflammatio levis tunicae adnatae, in qua oculi humescunt, et adest mitis calor, dolor, rubor. Nascitur a levibus, et evidentibus caussis, ut a sole, igne, fumo, etc. Secundus proprie constituit ophthalmiam, in qua magis oculi rubent, calent, dolent, et copiosae lacrymae fluunt. A caussis gravioribus, et vehementioribus oritur. Tertius est inflammatio gravior, non solum adnatam, sed etiam scleroticam occupans. Hae membranae tumefactae super corneam lucidam attolluntur, hiatum relinquentes, ex quo haec inflammatio dicitur chemosis. In hac praeter alia symptomata immitis capitis dolor, vigilia, et palpebrarum inversio praesto sunt. A quibusdam chemosis appellatur illa inflammatio gravissima, quae ad oculorum membranas, et humores extenditur. Alii vero cum Plathnero eam appellant phlegmonem. Haec vehemente febre, et acerbis symptomatibus stipatur. Si oculi bulbus

Digitized by Google

tam afficiatur, ut valde protuberet, et procidat, hujusmodi procidentia graece dicitur proptosis. Quivis inflammationis gradus sua percurrit stadia, quae initium, augmentum, status, et declinatio nuncupantur. In initio oculi rubore infici, humidioresque fieri ineunt; in augmento omnia ingravescunt; in statu nec imminuuntur, nec exasperantur symptomata, sed secernitur temperatior humor, qui crassus ita fit, ut saepe palpebrae agglutinentur; in declinatione cuncta mitescunt, donec evanescat morbus.

§. 279. De variis oculorum inflammationibus acturi, ab illis, quae eorum externas partes invadunt, initium sumimus. Palpebrarum inflammatio dicitur blepharitis, a graeco nomine βλέφαρον idest palpebra. Haec fuit jampridem ophthalmia notha, et sicca nuncupata. Notha quia potius palpebras, earumque angulos obsidet, a sero, et acri lympha ut plurimum orta; sicca, quia minori lacrymatione sociatur. Haec autem ophthalmia fuit in duo genera distributa, quorum unum a pruritu, aliud ab

absentia pruritus distinguitur. Inflammatio cum pruritu dicitur psorophthalmia, si exigua fluxio salsi, et acri humoris adsit; si vero haec fluxio deficiat, et tantum palpebrae rubent, tument, dolent, et sensum gravitatis patiuntur, xerophtalmia, seu sicca lippitudo. Inflammatio autem sine pruritu, quia solum palpebrae duritie afficiuntur, sclerophthalmia, seu dura lippitudo vocatur. Hujusmodi palpebrarum inflammationes dicebantur lymphaticae, aut serosae, utpote ab acri, viscida, et tenui lympha productae. Cum vero non solum ab acri lympha, sed etiam a caussis caeteris inflammationibus communibus nascantur, et saepe symptomatibus stipentur verae inflammationis propriis, denominationes istae accuratae minime sunt.

§. 280. Blepharitis in primariam, symptomaticam, secundariam, et traumaticam dividenda videtur. Primaria autem, seu vera palpebrarum inflammatio, diversa obtinet nomina, prout varia est ejus indoles, et caussa, unde oritur. Quo cir-

ca dicitur erysipelatosa, catarrhalis; variolosa, impetiginosa, hordeolum. Erysipelatosa, quae paullatim ad partes propinquas extenditur, cognoscitur a pallescente rubore, qui digiti pressione evanescit, et hac sublata redit. Persaepe palpebram superiorem occupat, quae tumida fit, et splendens. Cum mitis sit, dolor est levis; cum vero gravior, hic est ingens, et ardens, ac in margine palpebrarum vesicularis tumor apparet. Febris raro evolvitur. Hujus morbi sedes, et caussae eaedem sunt, ac illae erysipelatis. Quoniam vero perspiratio cohibita frequenter in caussa est, blepharitis erysipelatosa saepe ad rheumaticas affectiones pertinet. In hominibus alioquin sanis levem morbum sistit, qui ut plurimum post aliquot dies cum desquamatione terminatur; sed in valetudinariis ad recidivam dispositionem relinquit, pluribusque malis ansam praebet, ut sunt oedema frigidum palpebrarum, earum suppuratio, exulcerationes chronicae, fistula lacrymalis spuria. Quoad curationem hujus mor-

bi, si febris adsit, aeger sit robustus et juvenis, vena brachii secetur; secus applicatio hirudinum retro aures satis erit. Pars autem affecta subtili et sicco linteo tegatur. Insuper potiones diluentes cum nitrate potassae, ac levia evacuantia conferunt. Dum vero morbus ad finem vergit, utilia sunt diapnoica, et vesicans nuchae appositum.

§. 281. Blepharitis catarrhalis pruritu circa tarsos inchoat, tumore rubro, duriusculo, dolore interdum violento; sed nunquam dolor est tam acer, ut dum partes oculi interiores inflammantur. Haec blephartis dicebatur olim psorophthalmia. Non raro in internam palpebrarum superficiem, et conjunctivam producitur; ac tum dolens est palpebrarum motus, et impeditus. Consistit secretio glandularum Meibomii; sed illa lacrymarum augetur, quae sebo non immixtae acriores fiunt. Ex earum autem acrimonia tam irritantur oculi tunicae, ut inflammentur, et genae, per quas depluunt, exedantur. Si morbus ad majorem vehementiam perve-

niat, deficit etiam lacrymarum secretio, oculus siccus evadit, ac molestus sensus instar inspersae arenae inter hunc et palpebras vexat. In hoc gradu inflammatio xerophthalmia dicebatur. Si morbus angulos palpebrarum obsideat, lacrymales papillae corrugantur, et puncta lacrymalia fere clauduntur. Inclinante morbo, minuuntur symptomata, sebi Meiboniani secretio restituitur, quod vero qualitates puriformes offert. Haec materies per corneam diffusa obnubilat visum; sed, si illa removeatur, evanescit caligo. Ob eamdem caussam sub somno conglutinantur palpebrae, quae difficulter reserari possunt. Etiam cilia agglutinantur; dolentes, et prurientes pustulae subnascuntur in tarso, quae subinde ciliorum lapsum inferunt. Nonunquam febrilia symptomata in hac blepharitide non desunt. Morbi sedes est in membrana mucosa tarsi, internae palpebrarum superficiei, in glandulis sebaceis, earumque ductibus excretoriis. Caussae frequentiores sunt annua constitutio catarrhalis, inquinatus aër,

oculorum lotiones impuro latice. Dum morbus est levis, in hominibus aliunde sanis etiam sponte sanatur. In valetudinariis vero, infantibus, senibus saepe chronicus fit, ad oculum propagatur, praecipue si caussae persistant. Interdum per moram morbi longiorem ectropium, seu palpebrarum inversio, harum cohaerentia, seu ancyloblepharon, aut alia incommoda progignuntur. Pro levi blepharitide catarrhali lucem, frigus, et aëris humiditatem fugere, et apta vivendi praecepta tenere, satis est. Pro graviori oportet, brachii venam tundere, et retro aures plus semel hirudines admovere. Diluentes etiam potiones cum nitrate potassae, et lenia purgantia conveniunt. Subacto morbi impetu, vesicans nuchae est apponendum. Si vero morbus in longum procedat, et torqueat pruritus, collyria ex aliqua mucilagine, et opio composita juvant. Haec conflari solent aqua rosarum, vel sambuci, mucilagine seminum aut malvae, aut althaeae, aut psyllii, aut cydoniorum, et laudano liquido

Sydenhami. Oculi autem aquis emollientibus, tepidisque abluantur. Dum leviter palpebrarum margines ulcerantur, et hae sub nocturno somno glutinantur, prius eluendi sunt oculi tepida decotione hordei; mox exigua ulcera detergenda, et exiccanda, atque affectae partes roborandae. Quocirca adhibeatur prius collyrium ex aqua sambuci, et aliquot granis vitrioli cyprii compositum, cui adjici possunt, duo vel tria camphorae grana, si haec utilis videatur, et bene feratur. Linteum subtilissimum hoc collyrio tepido madidum ter, vel quater die ita super oculos non omnino clausos ponatur, ut aliqua liquoris portio intra palpebras penetret, et ab uno ad alterum angulum diffundatur. Deinde eodem modo aliud est usurpandum collyrium, quod scilicet ex lapide divino, et acetate plumbi constet. Solvantur itaque lapidis divini grana quatuor in dimidia uncia aquae destillatae simplicis; hinc percoletur, et unciae quatuor aquae rosarum, et laudani liquidi Sydenhami scrupulus addantur. Quo autem

magis hoc collyrium adstringat, et exiccet, guttae quindecim, vel viginti extracti saturni adjungi solent. Ubi secretio morbosa sebi Meibouiani curanda sit, prius locum habet unguentum ophthalmicum rubrum mite, ex uncia dimidia butyri recentis insulsi, et granis octo mercurii praecipitati rubri compositum; deinde fortius, quod ex dimida uncia ejusdem butyri, granis decem ejusdem mercurii, granis sex tutiae praeparatae conficitur. Si denique hujusmodi unguentum non sufficiat, illud Janini est adhibendum, quod butyri recentis insulsi uncia dimida, mercurii praecipitati albi granis quindecim, boli albae scrupulo componitur. Hoc penicilli ope semel, vel bis illiniantur palpebrarum margines; mox per horae quadrantem claudantur oculi, et evitetur frigidus aër. Sedulo vero animadvertendum est, an aliqua subsit complicatio, nimirum venerea, scorbutica, scrophulosa, etc. ut apposite interna remedia hisce morbis adversa adhibeantur.

Digitized by Google

§. 282. Blepharitis variolosa saepe in ipsa variolarum eruptione obvenit. Tumescunt palpebrae, maxime prope margines, rubescunt, dolent, et lacrymae fluunt. Illis agglutinatis, aeger usque ad variolarum exiccationem visu vacat. Non raro inflammatio ad internas oculi partes dilatatur; idque ab intolerantia lucis praecipue cognoscitur. Caussa est variolosum contagium infantibus debilioribus admodum infensum. Si solae palpebrae afficiantur, saepe bulbi ciliorum destruuntur, earumque margines exulcerantur. Si etiam internae partes inflammentur, saepe organa lacrymalia periclitantur. Pro curatione hujus morbi, praeter remedia ad variolas, moderanda est actio lucis, et palpebrae linteo subtili, calidoque tegendae. Pustulae autem variolosae pure plenae acu operationi cataractae inserviente pungantur, ut illud effluat. Oculi aquis emollientibus tepidis abluantur, et collyrio mucilaginoso et opiato humectentur. Denique leniter palpebrae separen-

tur, et exiccentur, ac oculi actioni lucis, et aëris paullatim assuefiant.

§. 283. Blepharitis impetiginosa aut est primaria, aut symptomatica, aut secundaria. Dicitur primaria, cum ejus caussa in palpebras primitus agat. Distinguitur pruritu, tumore rubro, exiguis pustulis, ex quibus disruptis ulcera ichorosa, calida, dolentia, prurientia prodeunt, quae postea crustis teguntur, subtusque depascientia sunt. Caussa frequentior est aliqua impetigo; sed aliquando etiam insecta inter cilia nidulantia, ut morpiones, acarus exulcerans. In hominibus bonae temperiei recta medela absolute vincitur morbus; sed si subsit aliqua labes, aut ubi quaedam localia remedia praepostere fuerint adhibita, ut pinguia, et saturnina, gravia saepe consequuntur mala, ut glaucoma, cataracta viridis, amaurosis. Saepe ab hoc morbo ciliorum bulbi destruuntur, unde madarosis, trichiasis, et entropium producitur. Ut autem prospere curatio procedat, cognoscenda in primis est caussae natura, ut apta in-

terna remedia eligantur. Praeterea ablutiones oculi cum decoctionibus emollientibus et tepidis, lenia purgantia, vesicantia brachiis applicita juvant. Observandum etiam est, an in humoribus aliquod abscondatur vitium. Ubi enim scrophulosum extet, expedit usus aethiopis mineralis, antimonialis, extracti cicutae, decoctionum radicis smilacis chinae, scrophulariae, stipitum solani dulcamarae. Nostris temporibus laudatur solutio muriatis calcis, quae fit solvendo drachmam unam hujusce muriatis in uncia aquae destillatae, cujus exhibenda quantitas ad aliquot guttas bis aut ter de die extenditur. Ubi abdatur scorbutica labes, remedia antiscorbutica praestant, maxime serum lactis, aut lac, praecipue asininum, quod ad obtundendas, et emendandas humorum acrimonias efficacissimum putatur. Ubi serpat venerea lues, antivenerea, praesertim mercurius, et salsaparilla, conveniunt. Si morbus ab impetiginibus praepostere sanatis, alia loca occupantibus nascatur, praeter inter-

na opportuna auxilia, hae ad pristinam sedem unctione unguenti tartari emetici, et vesicantibus revocandae sunt. Si vero ille ab insectis originem ducat praeter generalia remedia, unguento sulphuris, aut mercurii semel, vel bis de die palpebrarum limbi inungendi sunt. Exiccatis earum ulceribus, delapsisque crustis, si cutis valde rubra, sensibilisque remaneat, levis unctio fiat unguento ex dimidia uncia butyri recentis et insulsi, granis decem vitrioli cyprii, granis quatuor camphorae, granis sex tutiae praeparatae composito. Si vero continuo madescat cutis, et novae crustae generentur, unguentum Janini juvabit. Si in humoribus acrimoniae persistant, unde in palpebris reproducatur impetigo, linquendus non est usus seri lactis, aut lactis ipsius, aut decoctionum edulcorantium, et expirationem adjuvantium, quae, si diu usurpentur, ad vincendas, expellendasque acrimonias maxime valent. Victus optimae qualitatis, digestuque facilis esto; atque omni cura acida, et caro suilla evitentur.

§. 284. Hordeolum est inflammatorius furunculus, qui in margine palpebrarum, et versus magnum oculi angulum saepe oritur. Ante ejus ortum tensionis sensus in palpebris, et pruritus in tarsis molestat. Dicitur hordeolum, cum ejus figura grano hordei similis sit. Est durus, obscure ruber, valde dolens; unde in hominibus sensibilioribus excitat febrim. Magis magisque augetur tumor, et interdum ad internam palpebrarum laminam producitur, proindeque ad suppurationem vergit. Plerumque suppuratio, quae a cute incipit, et mox cellularem pervadit, aegre absolvitur. Maturus abscessulus exterius rumpitur; hinc tumor aut omnino evanescit, aut remanet durities, quae paullatim dispellitur. Hordeolum in hominibus scrophulosis ad indurationem pronum est. Non raro cum aliis ophthalmiis, aliisque oculorum morbis complicatur. Aliquando in sanis absque evidenti caussa pullulat; saepe vero in illis, qui in diaetetico regimine peccant, unde primae regiones sordescunt, et qui

alimentis acribus et irritantibus vescuntur, aut spirituosis liquoribus abutuntur; saepius in quibus humores aliquo vitio, praecipue scrophulari inficiuntur. Hordeolum in sanis, si bene curetur, est fugax morbus, et solutu facilis, praesertim si occupet cutim, et textum cellularem suppositum non invadat. Ubi exigua portio hujusce textus decomponitur, in suppurationem abit. In scrophulosis saepe sequitur chalazion, aut morbus habitualis fit, aut aliqua deformitas nascitur. Resolutio in primo hordeoli stadio sola linteorum aqua frigida madidorum, aut glaciei applicatione obtineri potest. In secundo stadio, cum morbus in suppurationem transeat, emollientia, et anodyna, ut cataplasma ex pane lacte et croco, aut ex pulpa pomorum coctorum, expediunt. Licet autem disrumpatur abscessulus, eousque continuandus est emollientium usus, quousque tota resolvatur durities. Si haec rebellis sit, non amplius emollientia, sed potius resolventia conferunt, ut ex caepis assatis cataplasma.

Digitized by Google

Interdum non obtinetur sanatio ex eo quod exigua portio decompositae cellularis a sana non sejungitur. Tum intra tuberculum penicillo spiritu vitrioli perfuso pervadere necesse est, ut illa portio separetur, forisque expellatur. Si pars affecta tumida permaneat, et oedematosa, aqua vegeto-mineralis cum parva quantitate spiritus vini utilis erit. Si post relutam duritiem non sequatur cicatrix, emplastrum diachylon compositum parti admoveatur.

§. 284. Blepharitides symptomaticae, et secundariae curari non possunt, nisi primarii morbi natura cognoscatur. Praeter enim localia remedia, ea tantum interna conveniunt, quae illi opponuntur. Denique blepharitis traumatica, quae ab externis violentiis oritur, ab aegri narratione, et a partium lacessitarum observatione deprehenditur. Ab hoc morbo saepe plures deformitates relinquuntur, ut turpis cicatrix, si in caussa fuerit vulnus. Si vero non solum palpebrae, sed etiam orbita, et internae partes laedan-

tur, plura certe mala consequi possunt. Statim inflammatio methodo antiphlogistica est subigenda; reliquum autem curationis ad chirurgiam spectat, nimirum morbi caussam tollere, partesque lacessitas conjungere.

§. 286. Post varias blepharitides plures saepe supersunt reliquiae, ut oedema, emphysema, atonia, lapsus palpebrarum, defluvium, aut introversio ciliorum, tylosis, entropium, ectropium, ancyloblepharon, symblepharon, chalazion, scirrhus, cancer palpebrarum. Oedema, quod blepharitidem erysipelatosam frequenter sequitur, est tumor pallidus, mollis, indolens, et digiti praementis vestigium retinens. Nascitur ab atonia, et applicatione roborantium solvitur. Eodem modo emphysema curatur. Palpebrarum atonia in musculorum laxitate consistit; ideoque apto diaetetico regimine, frictionibus cum panno laneo super affectam palpebram, aut cum aethere sulphurico super regionem superciliarem institutis superatur. Lapsus palpebrae superioris, qui blepha-

rosis dicitur, a plica membranacea constituitur, quae supra palpebrarum fissuram pendet, sive in toto earum ambitu, sive ad angulum externum oculi. Oritur a musculi elevatoris laxitate, cujus caussa cutis hac plica instructa sublevari nequit. Plicae excisione curatur. Ciliorum defluvium, seu madarosis, nonnunquam blepharitidem variolosam, scrophulosam, catarrhalem sequitur. Hoc aut ob bulborum ciliorum destructionem, aut ob eorum lapsum obvenit. In primo casu est insanabile, in altero nihil adjuvatur ab arte. Ciliorum introversio nuncupatur trichiasis. Sequitur blepharitides, in quibus internus margo tarsorum exulceratur, et consumitur. Modo est generalis, modo partialis, quae scilicet in externo oculi angulo tantum evenit. Ad curandam trichiasin ciliorum evulsio laudabatur; sed in praesens recisio portionis integumentorum prope tarsum dumtaxat proponitur. Nonnulli sunt, inter quos Beer, qui de distichiasi, seu de duplici ciliorum ordine loquuntur; sed alii, inter

quos Scarpa, eam prorsus negant. Si enim cilia non una linea disponantur, aliquo urgente morbo, contrariam directionem acquirunt, unde novus ciliorum ordo formari videtur, qui reapse non adest. Tylosis est tarsorum durities, quae post blepharitides, praecipue in scrophulosis, aliquando remanet. Ut plurimum a tumore tarsorum, aut a nodulis segregatis supra tarsos proficiscitur. Tentanda est resolutio, sed irritantia, et styptica fugienda sunt. Entropium est palpebrarum, aut tarsorum introversio. Ad hanc tollendam excisio plicae cutaneae, ut in lapsu palpebrae superioris, celebratur. Ectropium est palpebrarum inversio, quae modo a laxitate, et intumescentia internae membranae palpebrarum, modo a crispitudine, et contractione cutis palpebrarum, aut integumentorum partium propinquarum nascitur. Varios ectropii curandi modos chirurgia docet. Concretio palpebrarum inter se ancyloblepharon; illa palpebrarum cum oculi bulbo symblepharon dicitur. Utrumque in per-

fectum, et imperfectum, prout concretio universalis est, vel partialis, dividitur. Saepe ancyloblepharon cum symblepharo conjungitur; saepe etiam sub ancyloblepharo oculi vitia insanabilia latent, quod sedulo observandum est, priusquam cultro concretae partes separentur. Si enim hujusmodi vitia existerent, non solum inutilis foret operatio, sed occulta aperirentur. Chalazion est tumor rotundus, indolens, ut plurimum mobilis, durus, levis, quem saepe linquit hordeolum. Circa tarsum modo in externa, modo in interna palpebrarum superficie sedet. Aliquando in eadem palpebra plura occurrunt chalazia, quod in scrophulosis frequenter accidit, in quibus ea non raro in scirrhum, aut cancrum abeunt. In hominibus bonae temperiei facile solvitur chalazion, precipue si fabae magnitudinem non excedat, et sub externis indumentis jaceat. Frictionibus simplicibus, et unctionibus resolventibus adjuvanda est resolutio. Nunquam vero caustica adhibeantur. Si tu-

mor in suppurationem vergat, haec promoveatur. Si resolutio obtineri non potest, ad cultrum est recurrendum. Scirrhus, cancer occultus, et apertus noscuntur a signis, quae harum affectionum propria sunt. Scirrhus usque ad palpebrarum margines extenditur. Ubi extat diathesis carcinomatica nonnunquam in cancrum abit. Si nihil obstet, scirrhi, et cancri tentanda est extirpatio.

§. 287. Interdum organa lacrymalia aut ob externas, aut ob internas caussas inflammationem suscipiunt, et saepe post eam plures supersunt reliquiae. Glandulae lacrymalis inflammatio dicitur dacryoadenitis. Hujus symptomata sunt dolor gravis, pungens, oscillans temporalis regionis, qui ad oculi bulbum, ad frontem, aliasque capitis partes extenditur; siccitas oculi; tumor, dolor, durities, rubedo palpebrae superioris ad temporalem angulum, versus quem bulbus nimis sensilis, durusque redditus, aegre movetur; aliqua in conjunctiva externi anguli inflammationis vestigia. Haec, ingravescen-

te morbo, graviora fiunt. Glandula enim lacrymalis, ac cellulosa annexa nimis tument, unde bulbus deorsum pellitur, et cornea versus nasum componitur, ideoque laeditur visus. Cum autem nervi ciliares, et optici valde distendantur, ac sanguifera vasa admodum oscillent, angusta fit pupilla, iris rigida, evolvitur lux morbosa, et aeger delirans evadit. Si vero suppuratio impendeat, dolor fit pulsans, sensus frigoris in oculo percipitur, punctum flavescens in conjunctiva, ubi observabantur inflammationis vestigia, aut in palpebra superiori conspicitur, quod abscessum indicat. Caussae dacryoadenitidis aut sunt violentiae externae, aut aliquod vitium in humoribus absconditum; hinc in scrophulosis frequentius obvenit. Haec inflammatio periculosa non est, dummodo ad bulbum non extendatur, et rite curetur; secus periculosissima. Etiam post suppurationem, si haec perbelle tractetur, exitusque puri paretur, redit oculi sanitas, et visus restituitur, quamvis ob laesionem musculi re-

cti externi non semper in axin reponitur bulbus, unde quaedam remanet lusciositatis species: si vero recte non processerit curatio, aut fistulosum ulcus, aut ossium orbitae caries generatur. Sollicitis sanguinis missionibus tentanda est resolutio, et in primis vena jugularis affecti lateris secanda est; deinde temporibus hirudines applicandae. Adhibenda etiam sunt antiphlogistica remedia, maxime levia purgantia, nec non balnea calida pedum, et eorum plantis sinapismorum applicatio. Subacto inflammationis impetu, vesicantia expediunt. Si vero morbus ad suppurationem tendat, cataplasmata emollientia juvant. Cum abscessus ad maturitatem pervenerit, larga incisione est aperiendus, purisque exitus promovendus.

§. 288. Inflammatio sacci lacrymalis nuncupatur dacryocystitis. Cognoscitur dolore anguli nasi, qui, decurrente morbo, ad oculi bulbum producitur; tumore rubro formae fabae, duro, et tam sensili, ut tactum non toleret. Corrugantur

carunculae lacrymales, puncta lacrymalia obliterantur, unde lacrymarum stillicidium producitur. Cavitas nasi affecti lateris prius madida, mox sicca evadit, aut ob propagationem morbi ad membranam Schneiderianam, aut ob lympham coagulabilem, quae ductum nasalem replet. Interdum cephalalgia molestat, et erysipelatosus tumor per palpebras, et genas extenditur. Dum in sacco colligitur mucus, aut pus, augetur tumor, et fluctuans fit. Dum autem morbus in suppurationem abeat, in medio tumoris punctum flavescens, et molle deprehenditur. Caussae aut externae violentiae, aut humorum vitia sunt. Hinc in scrophulosis, scorbuticis, syphiliticis haec inflammatio frequentius evolvitur. Si ab efficacioribus caussis non nascatur, resolutio facile impetratur. Si vero haec non obveniat, aut sequitur acutus hydrops, expedite tollendus, aut suppuratio. Post suppurationem autem consequi potest fistula lacrymalis vera. Rupto enim tumore, exit pus tenue cruori mixtum, et statim vulneris mar-

gines callosi fiunt. Si dacryocystitis non bene curetur, fit subinde chronica, aut ductus lacrymales, et nasalis obliterantur. Ad resolutionem assequendam apta est antiphlogistica methodus. Si vero suppuratio sequatur, conferunt emollientia. Denique maturus abscessus est aperiendus, proindeque sanandus.

§. 289. Inflammatio chronica sacci lacrymalis, in qua lympha coagulabilis copiose secernitur, et accumulatur, dici potest illius blennorrhoea. Symptomata non sunt tam vehementia, ac in acuta inflammatione, sed diu perstant. Si comprimatur tumor, per puncta lacrymalia exit mucus prius tenuis et albus, mox crassior et flavus, qui per oculum spargitur. Saepe naris affecti lateris ob facilem obliterationem nasalis ductus sicca evadit. Caussa hujusce affectionis est chronica irritatio, quae ab aliis morbis non raro provenit, ut a variolis, morbillis, scarlatina, coryza. Si morbus diu pergat, et frequenter redeat, ut in scrophulosis evenit, aegre sanatur. Interdum ab ipsa

natura resolvitur, quod in aetatis flore, et in bonis temperamentis contingit. Quandoque ab hoc habituali morbo hydrops, fistula lacrymalis, lacrymarum stillicidium, hernia consequuntur. Ad resolutionem comparandam methodus antiphlogistica expedit; et a remediis irritantibus, praecipue injectionibus, et sacci exploratione declinandum est. Deinde laudano liquido, aut unguento ophthalmico rubro mitiori illiniatur pars, aut unguento hydrargyri griseo, si sacci membranae crassescant.

§. 290. Carunculae lacrymalis, et membranae semilunaris inflammatio dicitur encanthis inflammatoria, quae tumore, dolore, et rubore noscitur. Extenditur ad membranam conjunctivam, palpebrarum margines, et puncta lacrymalia, unde lacrymarum resorptio inhibetur. In morbi cursu augentur symptomata, praecipue dolor, dum palpebrae claudi volunt, aut dum affecta pars tangitur. Etenim sub attactu, etsi levissimo, intolerabilis evadit, ad bulbum propagatur, et

lux morbosa evolvitur. Abundans lympha coagulabilis secernitur, densatur, et matutinis horis oculi angulum agglutinat. Si inflammatio non resolvitur, saepe fit abscessulus, qui a puncto flavescenti inter carunculam, et membranam semilunarem ostenditur. Hic sponte rumpitur, et caruncula lacrymalis quoad volumen aut augetur, et dura remanet, aut imminuitur, et hinc affectio nascitur quae dicitur ῥυὰς aut consumitur, et eroditur, unde oritur affectio ῥαχος, aut ῥάκωσις dicta. In lenta suppuratione saepe tela cellularis luxuriat, unde nascitur fungosus tumor, qui encanthis fungosa nuncupatur. Caussae morbi aut sunt corpora extranea in carunculam lacrymalem illapsa, aut inter hanc et membranam semilunarem inhaerentia, aut acris humor qui carunculae figitur. Inquirere igitur oportet, an ab externa, vel interna caussa oriatur morbus. Resolutionem assequi possumus, si recta instituatur curatio, et nulla affectarum partium adsit laesio. Per aliquod tempus lacrymarum remanet stillicidium, maxi-

me si afflictae, et propinquae partes indurentur. Corpora extranea vel lotionibus, vel injectionibus emollientibus, tepidisque, vel aptis instrumentis sunt auferenda. Deinde lotiones aquae simplicis frigidae, vel cum aliquot guttis acetatis plumbi liquidi juvant. Si vero aliquis vitiosus humor in caussa sit, huic curatio opponatur. Si lacrymarum stillicidium tempore non evanescat, ablutiones ex aqua plantaginis cum aliquot guttis laudani liquidi conferunt. Adstringentia vero, et exiccantia fugienda sunt. Sic in encanthide fungosa, dummodo non sit carcinomaticae naturae, laudanum liquidum praestat.

§. 291. Post organorum lacrymalium inflammationes non raro sinus capillaris glandulae lacrymalis, ejusdem durities, et scirrhus, sacci lacrymalis fistula, hydrops, hernia, lacrymarum stillicidium, oculi siccitas, seu xerophthalmos, encanthis scirrhosa, et carcinomatica sequuntur. Sinus capillaris, qui vix microscopio conspicitur, dacryoadenitidi succedit.

Ab angulo externo palpebrae superioris, ubi ostiolo marginibus callosis lacrymas fundente aperitur, ad glandulam lacrymalem extenditur. Forsan hic sinus a cujusdam ductus lacrymalis laesione ortum habet. Curatio in nova illius inflammatione excitanda consistit, idque causticorum ope comparatur. Quocirca vel specillo prius Anelii, vel chorda musica dilatetur sinus; mox applicentur caustica, ut lapis infernalis bene acuminatus. Durities glandulae lacrymalis ut plurimum per aliquod tempus manet, deinde paullatim resolvitur. Si glandula scirrhosa evadat, ad angulum externum inter palpebram superiorem et bulbum tumor stabilis, durus, inaequalis, indolens deprehenditur. Adest praeterea oculi siccitas, concrescit sebum Meibomianum tarsos obducens, et oculi membranae plus minusve alterantur. Scirrhus simplex glandulae lacrymalis in carcinoma raro convertitur. Hujusmodi morbus linquendus est; frustra enim resolutio, aut extirpatio tentaretur. Remediis resolventibus pejor fieret; et quia

determinari non potest scirrhi ambitus, ac orbitae periostium, ossaque eam componentia a statu sano fere semper declinant, extirpatio locum non habet. Fistula lacrymalis vera inflammationem sacci lacrymalis interdum sequitur. Ea est hujus ulcus cum foramine angusto, et calloso. Dicitur simplex, si foramen sacci illi cutis respondeat; complicata, si pus sub cute serpat, et per varia ejus foramina exeat; cariosa, si ulcus in postico sacci pariete fiat, erosisque ossibus subjacentibus, in cavitatem narium penetret pus. Simplex aut per naturam, aut per artem saepe coalescit; complicata difficillime sanatur, praecipue in valetudinariis; cariosa solutionem assae foetidae, et myrrhae injiciendo curatur. Hydrops sacci lacrymalis aut sub ipsa inflammatione, aut dum hic undique clauditur obvenit. Tumore sacci ad ovi columbini magnitudinem sensim crescente, indolente prius, mox dolorem, molestumque tensionis sensum inferente, et ad extremum augmentum perducto, compressioni renitente,

cute ex livido rubra obtecto cognoscitur. Lacrymae non prosiliunt, ac fluctuatio aut profunda, aut nulla percipitur. Sub tumore ad extremum aucto palpebrae aperiri non possunt, et sub attactu dolor, et tensionis sensus augetur. Hic morbus chirurgica operatione tollitur; sed lacrymarum absorptio, earumque ad nasi cavitatem ductio non semper restituitur, quod praesertim evenit, si admodum vehemens fuerit inflammatio, in qua viae lacrymales facile concrescunt. Hernia sacci ostenditur a tumore molli, ad fabae magnitudinem perveniente, indolente, cute naturalis coloris obducto, compressione evanescente, et sub ista lacrymarum fluxione. Egestis lacrymis evanidus fit tumor, cutisque rugosa; sed paullo post iterum mucus et lacrymae cumulantur in sacco. Hic morbus, qui medelam admittit, ab atonia praesertim hujusce sacci dependet. Applicatione igitur linteorum medicamentis spirituosis imbutorum, et angulo interno oculi aut alcohol, aut aetherem sulphuricum, aut decoctum corticis quercus

instillando, debilitatae partes roborandae sunt'. Stillicidium lacrymarum duplex est: modo enim puncta lacrymalia non absorbent lacrymas, quae plus, quam par est secernuntur; modo haec puncta labefactata lacrymas nequeunt absorbere. Haec stillicidii diversitas inspectione oculorum, et punctorum lacrymalium detegitur. In primo casu morbi caussa est morbosa oculi sensibilitas ab aliqua ophthalmia relicta. Sub recto oculorum regimine, temporis tractu, saepe sponte desinit morbus; sed si hoc non eveniat, aqua plantaginis tepida cum acetate plumbi instiletur, aut supercilia cum laudano, aut opii tinctura fricentur. In valde sensibilibus etiam usus internus laudani liquidi, aut extracti hyosciami opem affert. In secundo casu morbus a punctorum, et canalium lacrymalium vitio proveniens, interdum sponte sanatur. Secus sulphas ferri, aut borax in aliqua aqua stillatitia solutus, superadditis remediis stimulantibus, ut est spiritus vini camphoratus, et opii tinctura, angulo oculi instilletur. Xe-

rophthalmos, seu oculorum siccitas, traumaticae ophthalmiae plerumque superest. Frequentius ab obliteratione, et destructione quorumdam ductuum excretoriorum glandulae lacrymalis; interdum a scirrho hujus glandulae nascitur. In primo casu oculus non est omnino siccus. Morbus ultro evanescit, si reliqui sani ductus excretorii defectui obliteratorum, et destructorum suppleant. Solum emollientibus infusionibus humectandus est oculus, ac molestus sensus, quasi arenae illi inspersae, quem sub motu palpebrarum aegri patiuntur, mitigandus. Encanthis scirrhosa, et carcinomatica, quae blephartides praecipue scrophulosas, et venereas sequitur, sedet in caruncula lacrymali. Scirrhus ab illius tumore duro, indolente, pallido-rubro, et lacrymatione; cancer a tumore duro, livido-rubro, dolente, et lacrymatione; apertus cancer ab ulcere fungoso, dolente cum marginibus callosis, et a foetida fluente sanie cognoscitur. Scirrhus carunculae lacrymalis facilius, quam ille palpebrarum in can-

crum abit. Raro ex usu est operatio, quippe quae stillicidium lacrymarum insanabile, et ectropium palpebrae inferioris relinquit.

§. 292. Inflammatio bulbi aut externam ejus superficiem, aut cavitatem, aut utraque loca simul obsidet. Taraxis, ophthalmia, chemosis externam superficiem; phlegmone internam cavitatem tenet. In tradendis bulbi inflammationibus recentiores sequimur, qui eas secundum diversam indolem dividunt, nimirum in erysipelatosam, rheumaticam, inflammatoriam, gastricam, arthriticam, periodicam, exanthematicam, scrophulosam, veneream, scorbuticam, plicosam, traumaticam, complicatam, consensualem. Considerandae etiam sunt harum inflammationum reliquiae, quae ut plurimum chirurgiae objectum sistunt. Sed quia etiam in orbita explicatur interdum inflammatio, de hac prius aliquid dicendum est.

§. 293. Illa dicitur inflammatio orbitae, quae periostium, aut textum cellu-

losum, aut utrumque occupat. Cum solum afficiatur periostium, aeger obtusum et profundum dolorem circa orbitam patitur, qui ab eo in oculo ipso inesse creditur. Perturbantur mentis functiones, et dolor capitis accedit. Cum autem textus cellulosus inflammetur, motus bulbi tollitur, hujusque volumen capacitatem orbitae excedere videtur. In augmento dolorum oculus ex orbita protruditur. Haec inflammatio ad partes oculi, et ad ipsas cerebri membranas protenditur. Rubet sclerotica; iris naturalem colorem amittit, tumet; angustior fit camera anterior, pupilla fere clauditur; inflammantur palpebrae; febris est vehemens; aeger delirans. Cum morbus ad bulbi cavitatem dilatetur, ejus volumen revera crescit; aufertur videndi facultas; iris immobilis fit; luxque morbosa apparet. Cum ad extremum pervenerit, cessat delirium; urget gravans dolor; sensus frigoris aut partialis in oculo, aut universalis percipitur; mox inter bulbum et orbitam pus colligitur, vel puncta albicantia in conjuncti-

va deprehenduntur. Suppuratione neglecta, ossa orbitae carie exeduntur, et pus in encephalon penetrat, aut oculus destruitur. Caussae morbi obscurae sunt; sed frequentius aliquod humorum vitium ut scrophulosum, syphiliticum, rheumaticum eum parit. Aliquando caussa localis est, ut orbitae exostosis. Curationis methodus prius antiphlogistica sit, et prompta; deinde, subacto inflammationis impetu, remedia morbi caussae adversa eligantur. Si resolutionem assequi non possumus, et suppuratio sequatur, haec est emollientibus promovenda. Si abscessus sponte non rumpatur, cultro est aperiendus. Vires autem apta, et nutriente diaeta, ac decoctionibus peruviani corticis fulciantur.

§. 294. Ophthalmia erysipelatosa maxime in conjunctiva residet. Haec membrana, dum molestus sensus tensionis in oculo premit, colore roseo pallescenti tingitur, tumoribusque vesicularibus, flavescentibus, aut rubris obsidetur. Palpebrae non sine dolore moventur; lux non tole-

ratur; secretio lacrymarum augetur. Amplior fit conjunctivae tumor, et rubor; ac in ea maculae rubrae comparent, quae ecchymomata sunt. Inter hujus membranae tumores cernitur mucus, qui etiam corneam obducit, et facile detergitur. Sensim denique decrescit conjunctivae tumor, et rubor, manentibus per aliquod tempus ecchymomatibus. Illius vero nexus cum sclerotica tarde restituitur. Caussae ab illis blepharitidis erysipelatosae non differunt. In hominibus caeteroquin sanis, et caute viventibus saepe morbus sponte evanescit. Sed in valetudinariis, et sub aëre humido et frigido crebro in partium externarum et internarum bulbi inflammationem transit. Curatio ab illa blepharitidis erysipelatosae non discrepat.

§. 295. Ophthalmia rheumatica magis corneam, et scleroticam afficit. Distinguitur a pungente oculi dolore cum tensione; intolerantia lucis; lacrymatione; rubore scleroticae; vasis conjunctivae turgentibus. In decursu morbi imminuitur intolerantia lucis, et lacrymatio; sed

augetur dolor, qui ad cranium extenditur. Cornea pelluciditatem deponit, et phlyctaenis notatur. Dum hae disrumpuntur, dolor fit ardens, et pungens, ac in ulcuscula serpentia modo ichorosa, modo purulenta mutantur, quae curatione evanescunt, et cicatricem non linquunt. In cornea vero remanet fovea prismatica, quae nisi aeger sit senio confectus, temporis tractu subtrahitur. Caussae ab illis blepharitidis catarrhalis non distant. In hominibus alioquin sanis ultro sanatur morbus; sed in valetudinariis, scrophulosis, venereis non sine negotio curatur. Si maculae corneae, cicatrices, ulcuscula pupillae respondeant, visus interruptio, aut duplicitas timenda est. Curatio illi blepharitidis catarrhalis similis est. Expedit pro clausis phlyctaenis decoctio malvae cum opio; pro ulcusculis lapidis divini tepida solutio.

§. 296. Ophthalmia inflammatoria externam oculi superficiem persaepe detinet. A recentioribus ophthalmo-blennorrhoea nuncupatur, si copiosa secretione,

lymphae coagulabilis stipetur; chemosis, si membranarum externarum oculi siccitas adsit; phlegmone, seu interna ophthalmitis, cum non externa solum superficies, sed etiam oculi cavitas afficiatur. In ophthalmo-blennorrhoea oculi tumor mollis, et sanguinem fundens in initio conspicitur, qui deinde sarcomatosam induit naturam; copiose secernitur lympha coagulabilis, quae saepe striis sanguinis miscetur. Crebro morbus profertur ad palpebras, saccum lacrymalem, et loca finitima. Conjunctiva interdum ita super corneam tumet, ut haec in fovea, lympha coagulabili repleta, aut pseudo-membrana obducta contineri videatur. In adultis per totam morbi inflammatoriam periodum febris adest, quae in infantibus primis diebus vix concitatur. Hi autem ejulant, vigilia, et diarrhoea laborant, et tabe conficiuntur. Subinde haec inflammatio resolvitur, subinde in suppurationem transgreditur. Sub hac eroditur cornea; et dum iris per erosa foraminula labitur, racemosum staphyloma con-

stituitur. Etiam dum rumpitur capsula, lens, et pars corporis vitrei saepe detruditur. Interdum cessante suppuratione, cicatrice clauditur cornea; interdum totus oculus diruitur. Chemosis ab oculi siccitate, compressionis sensu, rubore scleroticae, tumore conjunctivae, amissa corneae pelluciditate, motu oculi dolorem afferente distinguitur. Sub decursu morbi omnia graviora fiunt, inflammantur palpebrae, et sic conjunctiva super corneam tumet, ut lucis perceptio impediatur. Urgente febre, pulsans fit oculi dolor, et suppurationis symptomata, praesertim in cornea, et conjunctiva, apparent. Interdum suppuratio totum oculum delet, nimirum purulentam facit consumptionem; interdum in una tantum parte laedit structuram. Phlegmone est variarum partium oculum componentium inflammatio; hinc ejus symptomata variant. Generatim immitis est oculi dolor, qui ad encephalon extenditur; pupilla fit angustior, splendidamque deponit nigredinem, unde perditur videndi facultas, et

lux morbosa cernitur; iris dimittit naturalem colorem; sclerotica rubet; conjunctiva tumet, et sanguine turget. Adest febris cum cephalaea, et vigilia. Interdum morbo ad summum vigorem perducto hydrops oculi purulentus succedit, scilicet materies purulenta in cameram anteriorem diffunditur, quae non raro tam est copiosa, ut cornea admodum distendatur, et disrumpatur. Interdum materies purulenta in camera posteriori generata ostium claudit pupillae, unde cataracta spuria purulenta componitur. Si inflammatio praesertim occupet iridem, praesto sunt peculiaria, et adnotanda symptomata. Etenim in initio sensus pressionis molestat in oculo; mox iris immobilis fit, et tumet, ejusque color prius in minore, deinde in majore anulo mutatur. Capsula lentis inflammatur, uveae fit propior, unde aliquando morbosus nexus inter capsulam et uveam oritur, scilicet synechia posterior. Posteaquam morbus ad acmen pervenerit, suppurationis indicia prodeunt, nimirum puncta promi-

nentia inter majorem et minorem anulum, quae in abscessulos transeunt. Hisce autem ruptis, effunditur pus in anteriorem cameram, et formatur hypopyon. Hoc etiam evenit in posteriori camera, si uveae abscessuli discindantur. Quandoque iris cum cornea immediate concrescit, unde totale corneae staphyloma producitur; aut per pseudo-membranulam, et tum cornea complanatur, parum cernitur iris, et aquei humoris secretio deest. Caussae harum inflammationum bulbi multiplices quidem sunt. Ophthalmoblennorrhoea in infantibus saepe ab exhalationibus orphanotrophiorum; in adultis ab humiditate locorum, pravaque nutritione nascitur. Chemosis, et phlegmone aut a plethora, aut a suppressione fluxus haemorrhoidalis, menstruorum, habitualis epistaxeos, aut ab abusu vini, et liquorum spirituosorum, aut a contagio ortum habet. Hujusmodi inflammationes periculosae sunt; sed ad praesagiendos exitus, caussae, symptomata, et oculi affecti conditiones perpendendae sunt. In oph-

thalmia interna inevitabilis est coecitas, si claudatur pupilla, aut retro eam, licet apertam, subsit pseudo-membrana, et ubi capsula, lens, et retina afficiantur. Si suppuratio invadat iridem, nil sperandum superest. In hydrope vero oculi purulento minor est timor. Quoad curationem spectat, statim sanguis ad illam quantitatem est detrahendus, quam inflammationis gradus, et violentia symptomatum exposcit. Sub vehementi febre, cephalaea, delirio, saevo oculorum dolore pluries mitti debet sanguis è brachio, pede, vena jugulari, et hirudinibus aut retro aures, aut temporibus, naribusque applicitis. In chemosi juvant etiam scarificationes in conjunctiva cum lanceola profunde factae, quin laedatur sclerotica; et secundum Scarpa pars conjunctivae rescindi potest, quae super corneam elevatur. Insuper omittenda non sunt quae promovent alvi evacuationes, aliaque antiphlogistica remedia. Diligenter autem lux est amovenda. Si post antiphlogisticam methodum cum utilitate adhibitam remaneat

oculorum dolor, regio supraorbitalis laudano liquido, aut opio saliva soluto illiniatur. Si post blepharo--ophthalmiam, et chemosin suppuratio fiat, calor siccus admoveatur oculo, aër sit purus, diaeta nutriens, et decoctio corticis peruviani usurpetur. Abscessuli autem, qui fiunt circa corneam, aperiantur lanceola.

§ 297. Ophthalmia gastrica, est illa quae ab irritatione ventriculi, et tubi intestinalis, per gastricas sordes inducta, nascitur. Hoc evenit ob consensum, qui per nervum intercostalem inter haec viscera et oculos adest. Ut plurimum est epidemica; nam quaedam annua constitutio evolutioni ejus, ut reliquarum affectionum gastricarum favet. Oculi status similis est illius, qui in ophthalmia erysipelatosa deprehenditur. Febris, et symptomata exacerbantur vespere, minuuntur mane. Si igitur character epidemicus morborum, forma morbi erysipelatosa, exacerbatio et remissio symptomatum perpendantur, de hujus inflammationis in-

dole non erit dubitandum. Caussae sunt errores in diaeta, depravata bilis, vermes, aëris qualitates, praesertim calor aestivus. Morbus plerumque benignus est, et intra septem dies absolvit cursum. Curatio simplex esto, scilicet applicentur temporibus hirudines; deinde emetica, purgantia, diluentes potiones adhibeantur.

§. 298. Ophthalmia arthritica, quae saepe periodice recurrit, in illis obvenit, qui arthriticae diathesi obnoxii sunt. Ejus forma duplex est; nam aut inflammationem erysipelatosam palpebrarum, et bulbi, cito in blepharo-opthalmo-blennorrhoeam abeuntem, aut iritidem offert. Sub prima forma adest dolor, et rubor marginum palpebrarum, qui per eas undique dilatatur, cui vesicasuc cedit: inflammatio ad bulbum, et circa corneam ad conjunctivam producitur, quae ut vesica elevatur: deinde morbus in blepharo-ophthalmo-blennorrhoeam commutatur. Fluit è naribus acre serum, augetur dolor, qui ad encephalon propagatur, febris fit

vehementissima. Sub altera forma sensus formicationis in oculo percipitur; mox dolor, qui a sinu frontali ad maxillam affecti lateris protenditur. Copiose mucus, et lacrymae per genas depluentes secernuntur. Circa corneam sclerotica rubet, et conjunctivae vasa varicosa fiunt. Rubor vero, et varicosa vasa per annulum ex albo coeruleum, latitudinis duarum fere linearum a cornea separantur. Deinde symptomata irritidis propria prodeunt. Pupilla modo angustior, modo dilatata apparet. In oculi fundo post dilatatam pupillam obfuscatio coloris griseo-viridescentis cernitur, in corpore vitreo sedens, et ansam glaucomati praebens. Succedit obfuscatio viridis coloris in lente cristallina; viridem cataractam constituens. Deletur visus, et lux morbosa explicatur. Cornea pelluciditatem amittit, et oculum atrophia invadit. Caussae praecipue sunt, quae ad oculos vitium arthriticum arcessunt, ut fletus, diuturna lectio, assidui labores. Hujusmodi ophthalmia plerumque timenda est. Generatim prognosis ab

observatione caussarum, et symptomatum eruitur. Pejor erit, quae a vitio haereditario nascitur. Remedia in hanc ophthalmiam sunt applicatio hirudinum, sectio venae pedis, lenia purgantia, diapnoica, pediluvia, sinapismi. Si vero dolores saeviant, regio supraorbitalis aut laudano liquido, aut opio saliva subacto est illinienda. Denique ut morbus radicitus eradicetur, aptis remediis arthritica diathesis est deturbanda.

§. 299. Ophthalmia periodica est persaepe febris intermittentis larvatae symptoma. Ut plurimum alternis diebus circa vesperam corripiunt oculorum dolor, et rubor, qui mane cessant. Caussae, prognosis, curatio a febribus intermittentibus est desumenda.

§. 300. Ophthalmia exanthematica dicitur, quae in variis exanthematum stadiis sese offert. Nuncupatur variolosa, quae in variolarum cursu comparet. Si plurimae variolae corneam invadant, sequitur coecitas. Vix pustulae replentur, aperiantur lanceola. Appellatur morbillo-

sa, quae in morbillis obvenit. Ubi est mitis, lucis moderamen sufficit; ubi vehemens, regulis generalibus curanda est.

§. 301. Ophthalmia a vitio scrophuloso genita dicitur scrophulosa. Haec inflammatio chronica est, scrophulosis infantibus familiaris. Ut plurimum dolor levis est, aut nullus; tumet conjunctiva, ejusque vasa evidentiora fiunt; ipsa sclerotica rubet, et cornea, cujus vascula rubra visibilia evadunt. Tument quoque palpebrarum margines, et secretio sebi Meibomiani augetur. Lacrymae acriores, et copiosiores profluunt; acrisque humor naribus manat, earum alas, ac superius labium irritans, et exulcerans. Saepe cornea pelluciditatem perdit, ac in ipsa pustulae, et phlyctaenae nascuntur. Hisce autem disruptis, prodeunt ulcuscula; hinc alia mala sequuntur, deperditurque videndi facultas. Vitium scrophulosum esse potest causa praedisponens, et excitans. Instat in hoc morbo coecitatis periculum, quod eo majus erit, quo majora sunt in cornea ulcuscula, et altius pe-

netrantia. Ad hanc inflammationem curandam hirudines, purgantia, emplastrum tartratis stibii, et potasse nuchae appositum expediunt. Si pustulae, et phlyctaenae adsint, decoctione tepida malvae cum laudano liquido abluatur oculus. Si hae disrumpantur, solutio lapidis divini utilis est. Tandem pro radicali cura requiritur, ut opportunis auxiliis diathesis scrophulosa superetur. Caussae, etsi leves, quae oculos irritare valent, fugiendae sunt. Aër sit purus, siccus, tepidus; victus nutriens; moderatus corporis motus.

§. 302. Ophthalmia venerea vel ab admoto oculis contagio, vel a metastasi materiei venereae, vel ab universali lue proficiscitur. Quandoque enim digitorum ope materies venerea oculis infricatur, unde tarsi, et conjunctiva inflammationem suscipiunt, quae blepharo-ophthalmia venerea ex contactu dicitur. Ut plurimum levis est, et interdum sollicita aquae frigidae cum aliquot guttis acetatis plumbi evanescit. Si id non eveniat,

abluatur oculus cum decoctione tepida malvae, addito laudano liquido. Si huic remedio resistat morbus, adhibeatur collyrium ex grano mercurii sublimati corrosivi, et unciis quatuor aquae destillatae compositum. Si ulcuscula compareant in tarsis ab universali lue non provenientia, hi unguento ophthalmico rubro simplici sunt illiniendi. Aliquando a suppressione blennorrhoeae urethralis venereae nascitur oculorum inflammatio, blepharo—ophthalmo—blennorrhoea a metastasi nuncupata. Paullo enim post illius suppressionem palpebrae, et oculi conjunctiva inflammantur. Interdum acer oculorum dolor excruciat, et lux tolerari non potest. Deinde etiam cornea inflammationem concipit. Si mature curetur morbus, imminuitur discrimen; secus gravia mala timenda sunt. Duas curatio indicationes complectitur; prima ad compescendum inflammationis impetum; altera ad blennorrhoeam urethralem revocandam tendit. In primis itaque methodus antiphlogistica requiritur; deinde

caussa suppressionis investigetur, ut blennorrhoea urethralis restituatur Si suppressio à summo inflammationis urethrae gradu pendeat, copiose mittatur sanguis è vena pedis, hirudinibus perinaeo, et cucurbitulis cruentis cruribus applicitis. Praeterea omittenda non sunt balnea tepida penis ex decoctione malvae, cataplasmata emollientia, clysteres oleosi, semicupia, pediluvia, potiones diluentes. Si vero a cessatione inflammationis urethrae nascatur suppressio, acres injectiones in urethram laudantur, ut illa ex duabus unciis aquae et duobus, vel tribus granis mercurii sublimati corrosivi composita. Candelae etiam adhibentur illinitae unguento ex butyro et mercurio precipitato rubro confecto; et ipsa blennorrhoeae contagiosae insitio. Inflammatio venerea oculorum, quae ab universali lue producitur, varias eorum partes pervadit. A recentioribus iritis syphilitica nominatur, quia iridis affectio in conspectum praecipue venit. Cognoscitur consuetis symptomatibus; sed animadvertendum est,

dolores noctu esse intolerabiles; alba filamenta sensim pupillam occludere; ulcera in sclerotica, et cornea apparere; aliaque adesse foenomena luis venereae propria. Nullo igitur negotio coecitas sequitur. Si aeger sit robustus et juvenis, admovendae sunt hirudines, et antiphlogistica methodus usurpanda. Mox interius et exterius opium, mercurialia, et antisyphilitica expediunt. Pro ulceribus corneae solutio lapidis divini utilis est.

§. 303. Ophthalmia scorbutica in hominibus scorbuto affectis usuvenit. Conspicitur in oculo violaceus rubor super albugineam extensus; vasa sanguinea conjunctivae varicosa, et atro sanguine repleta; cornea naturali splendore orbata; iris tumidula. Aeger ut plurimum ab initio lucem non perfert. Insuper scorbuti generalia signa non desunt. Ex symptomatibus hujusce morbi intolerantia lucis, et extravasatio sanguinis in oculi cavitatem pessimi ominis habentur. Praecipua remedia antiscorbutica sunt. Oculus vero aqua frigida cum aceto est abluendus;

Digitized by Google

alvus pulpa tamarindorum purificanda, si id vires permittant.

§ 304. Ophthalmia traumatica a caussis externis producitur. Symptomata differunt, prout morbi caussa, et vehementia, ac aegri constitutio differt. Illa enim modo taraxin, modo ophthalmiam proprie dictam, modo chemosin, modo phlegmonem constituunt. Aliquando caussa est corpus extraneum in oculum illapsum; aliquando aliqua externa violentia. A cognitione caussarum, a majore vel minore nobilitate partis oculi affectae a canditione aegrotantis prognosis, et curatio deducitur. Dum inflammatio non resolvitur, saepe in suppurationem, interdum in gangraenam cum vitae discrimine transit. Curatio praecipue in extrahendo, aut dissipando corpora peregrina, et inflammationem resolvendo consistit. Quapropter modo chirurgica instrumenta necessaria sunt, modo sufficiunt lavationes, instillationes, injectiones aut ex aqua, aut lacte, aut aliis rebus, secundum corporum extraneorum naturam. Si

hisce extractis, irritatio non cesset, aut irritum fuerit eductionis tentamen, prompte ad methodum antiphlogisticam veniendum est. Si abscessus in aliqua oculi parte formetur, et maturus ultro non rumpatur, lanceola est aperiendus. Aegri vires congrua diaeta, et tonicis auxiliis sustineantur. Si subsit aliqua lues, pharmaca huic adversa exhibeantur.

§. 305. Ophthalmia complicata est illa, quae in hominibus aliis morbis laborantibus accidit. Hujusmodi ophthalmia assumit characteres existentis diatheseos, ut in illis lue venerea affectis frequenter evenit. Complicationes modo in initio, modo in decursu morbi observantur. Earum naturam detegere maxime interest; siquidem ad morbi sanationem assequendam remedia ad diversas diatheses necessaria sunt.

Opthalmia consensualis nascitur a partium irritatione, quae cum oculo consensum habent. Ophthalmia gastrica est consensualis, quippe quae a ventriculi, et tubi intestinalis irritatione proficisci-

tur. Sic aliae sunt, ut quae tempore dentitionis in infantibus; aut quae ab uteri irritatione in mulieribus contingit.

§. 306. Harum ophthalmiarum reliquiae plurimae sunt, nimirum obscuratio, et macula corneae, leucoma, pannus, pterygium, ungula, hernia corneae, synechia anterior, prolapsus, et staphyloma iridis, staphyloma corneae, hydrops acutus purulentus, hypopyon, hydrophthalmus, haemophthalmus, synechia posterior, glaucoma, synchesis, bulbi varicositas, exophthalmus, tabes, hebetatio visus, cataracta, amaurosis. Obscuratio totam corneam; macula ejus partem occupat. Macula levis dicitur nephelium, nubecula, macula pellucida; nubes, macula nubila, dum ea in centro turget, et albescit. Cura in unctione unguenti ophthalmici rubri mitis, deinde fortioris consistit, quae bis vel ter die fit, prius super palpebrarum margines, mox super partem affectam, pennicilli ope. Leucoma est macula corneae obscurior. Si similis fere sit inspersae cretae, albugo;

si margaritae, leucoma margaritaceum, seu perla nuncupatur. Prius curandum est emollientibus, scilicet mucilagine seminum cydoniorum, decoctione malvae, vapore aqueo; deinde resolventibus, nempe bile bovina, aut illa mustelae fluviatilis, vel lacustris, aut lucii. Si hisce remediis non vincatur leucoma, ejus superficies acu operationi cataractae inservienti scarificetur; deinceps rursus emollientia, et resolventia vocentur in usum. Denique mutato ejus colore, et consistentia, ad caustica prius mitiora, mox fortiora veniendum est. Pannus rubri coloris scleroticam, et corneam obducens est conjunctivae turgor. Subinde sponte evanescit; subinde persistit. In homine alioquin sano laudano liquido illiniatur. In pertinaci vero morbo pulvis Baldingeri; et tandem prope corneae limites vasorum sanguiferorum recisio ex forcipe Davielii celebratur. Pterygium est varicosa vasorum conjunctivae pyramidalis extensio, quae ut plurimum ab angulo oculi interno non ultra corneae mediatatem pro-

ducitur. Ungula est pellucida semilunaris lamina ab angulo oculi super bulbum explicata. Pterygium dicitur tenue, si pellucidum, paucisque vasis sanguineis ditatum; pingue, si ad internum oculi angulum super corneam massa adiposa evolvitur. Utrumque chirurgica operatione rescinditur; sed pingue superficialibus scarificationibus sanatur. Hernia corneae aut est simplex, aut complicata. Prima a propulsatione posticae lamellae, a vi humoris aquei antrorsum producta; altera ab iride in sacculum herniosum prolapsa constituitur. Pro simplici bis die juvat solutionem lapidis divini oculo instillare; ac herniam laudano liquido, paucisque guttis balsami vitae Hoffmanni linire. Complicata autem lapide infernali sicco tangatur. Hoc modo ea destruitur, sed synechia anterior partialis relinquitur. Synechia anterior a concretione iridis cum cornea efformatur. Haec vero aut in toto harum membranarum ambitu, aut maxima earum parte, aut uno dumtaxat loco contingit. Prolapsus iridis dicitur, si haec

in sacculum herniosum corneae decidat. Si vero iris per corneae exulceratae foraminucula prolabatur, staphyloma iridis nuncupatur. Hujus portiones prolapsae solutione lapidis infernalis, aut pennicillo guttulam butyri antimonii tumori illinendo exedi solent. Dein in oculum aqua tepida instilletur. Staphyloma corneae est hujus protuberantia, circumscripta, opaca, cum iride concreta. Est totale si totam corneam; partiale, si ejus partem teneat. Pro primo, ad deformitatem auferendam, et transitum in exophthalmiam cancerosam impediendum, necessaria est operatio; pro altero, super ejus superiorem, mediamve partem guttula butyri antimonialis est, ut supra, applicanda. Hydrops acutus purulentus oculi est lymphae coagulabilis collectio, quae sub inflammatione partium internarum secernitur. Curationis methodus antiphlogistica sit. Calomelanus, frictiones ad regionem supraorbitalem ex unguento mercuriali cum digitali, digitalis infusio, et vesicans ad nucham laudantur. Hypopyon

est puris in oculi cavitatem effusio ex abscessu, sive externo, sive interno. Per corneae sectionem, si fieri potest, extrahatur pus, et tonicis, et apta diaeta fulciantur vires. Hydrophthalmus est humorum in oculo contentorum augmentum. Idcirco aut ab aucto humore aqueo, aut vitreo, aut utroque producitur. Interdum prima species incipiens curationem admittit. Haec fit secundum generales regulas curandi hydropem, et caussarum naturam. Educi etiam potest aqueus humor, corneam lanceola, distantia semilineae a sclerotica, incidendo, dummodo aeger caeterum sit sanus, oculusque non varicosus. De secunda specie spes fere nulla concipienda est. Secta cornea, ut in cataracta, humor vitreus abigitur, et cum lente educitur. Tertia species dicitur buphthalmus ob oculi volumen admodum auctum, qui bovillo similis videtur. Buphthalmum sequitur exophthalmia carcinomatica; hanc vero mors. Haemophthalmus est quantitas sanguinis in oculi cameris collecta. Plerumque celeriter resor-

betur sanguis; tamen timendum est, ne relictus grumus pupillam occludat. Naturalis absorptio infusione digitalis purpureae promovenda est. Synechia posterior a nexu uveae cum anteriore superficie capsulae lentis emergit. Interdum sanatur morbus, si recens sit, et in homine alias sano obveniat. Unguento ophthalmico rubro prius mitiori, deinde fortiori curetur. Adhibetur calomelanus, etiam absente venerea lue. Glaucoma est corporis vitrei obscuritas, ut plurimum viridem cataractam comitans. Malum insanabile. Synchesis dicitur, cum vitreus humor naturalem consistentiam amittit, et aqueo humori similis fit. Tanta vero est jaloideae membranae tenuitas, ut nullo negotio ea dilacerari possit. Synchesis recens, ubi solum labefactetur visus, apto praecipue diaetetico regimine, sanari potest, ut observata docent; quod in provectiori morbo sperandum non est. Bulbi varicositas cirsophthalmia nuncupatur. Diu perstat sine periculo, dummodo aut violentiis, aut medicamentis non irrite-

tur. Hisce enim facile disrumpuntur vasa, et morbus in cancrum convertitur. Cum oculi bulbus extra orbitam protruditur, vocatur exophthalmus. Hic autem dicitur ophthalmoptosis, si vel a laceratione, vel a paralysi oculi musculorum pendeat; proprie exophthalmus, si bulbus ab aliquo corpore è propria sede abigatur; exophthalmia, si ab aucto bulbi volumine nascatur. Prout vero haec vel a fungo, vel sarcomate, vel scirrho, vel cancro producitur, modo fungosa, modo sarcomatosa, modo scirrhosa, modo cancerosa vocatur. Chirurgia docet cum ad caustica, ad cultrum, ad extirpationem oculi confugiendum sit. Tabes oculi est ejus consumptio, quae ut plurimum a suppuratione nascitur. Si sola cornea conficitur, atrophia corneae dicitur. Ubi incurabili consumptione oculus, et cornea afficiatur, oculus artificialis locum habet, dummodo non irritet, ac novam inflammationem inducat, quae in cancrum expedite abiret. Hebetatio visus, seu amblyopia saepe a vitiis in oculi membra-

Digitized by Google

his, vel in humoribus, vel in vasis sanguineis, vel in nervis inducitur, quae ab ophthalmiis relinquuntur. Si a vitiis retinae, et nervi optici oriatur, amblyopia nervosa appellatur. Prognosis, et curatio differt, secundum vitia, a quibus amblyopia proficiscitur. Cataracta est lentis cristallinae, aut ejus velamentorum opacitas, unde visus obstaculum emanat. Haec in veram, et spuriam dividitur. In vera obstaculum visus inter capsulae lentis confinia; in spuria, inter parietem anteriorem capsulae et uveam adest. Utraque autem in plures tribuitur species, ut apud Chirurgiae scriptores videre est. Prognosis, et curandi methodus tum medica, quam chirurgica, a diversis speciebus, caussis, symptomatibus deduci debet. Amaurosis est visus abolitio, quae a vitio nervi optici, et retinae nascitur. Si primaria, aut incurabilis, aut curatu difficillima est. Cura autem differt, prout caussae morbi dissimiles sunt.

Otitis.

§. 307. Aures partem sensilissimam humani corporis, cerebroque vicinam constituunt. Idcirco acerrimis saepe doloribus, inflammationi, aliisque morbis obnoxiae sunt. Dolori aurium absque inflammatione, et febre inditum fuit otalgiae nomen. Si vero dolor cum inflammatione, et febre conjungatur, dicitur otitis. Utraque affectio in membrana meatum auditorium circumvestiente plerumque sedet; rarius in reliquis partibus tympani, et labyrinthi caveam componentibus.

§. 308. Symptomata otitidis sunt dolor acutus, lancinans, pulsatilis; febris vehemens; gravis capitis dolor; pervigilium; inquietudo; delirium; animi deliquia; auditus modo acutus, modo obtusus; aurium tinnitus; pulsus inter morbi initia durus, plenus, frequens; in augmento debilis, depressus; urina pauca, et rubra. Exterius tumor, et rubor non

cernitur, nisi quoque exteriores partes inflammentur. Haec vero secundum inflammationis sedem plus minusve intensa sunt. Etenim cum meatus auditorius solum inflammatione afficiatur, exterior est dolor; aures obsurdescunt; interior meatus superficies rubet, et tumet: cum membrana tympani, ejusque cavitas, dolor interior, et acutior est, ad fauces extensus; aures tinniunt; auditus obtusus evadit: cum intima cavea, idest labyrinthi, omnia atrociora sunt. Enimvero dolor magis internus, acerrimus ad caput, et cerebrum extenditur; auditus fere aboletur; saepe delirium, convulsiones, vomitus, extremitatum frigus, et animi deliquia accedunt.

§. 309. Caussae otalgiae, et otitidis non discrepant, nisi gradu. Illam excitant, quae nervos, fibrasque irritant; hanc quae partes aurium inflammant, et febrem pariunt. Hae caussae aut externae, aut internae sunt. Pertinent ad primas corpora peregrina in aures illapsa, insecta, vermes vel innati, vel in eas in-

gressi, contusiones, vulnera, subita frigoris actio in excalefactum caput; ad secundas, praeter communes inflammationibus caussas, haemorrhagiae suppressae, metastases, affectiones spasmodicae, rheumaticae, arthriticae, scrophulosae, exanthematicae, scabiei retropulsio, repentinae aëris vicissitudines, difficilis in infantibus molarium eruptio, dentium caries in adultis, et interdum gastricae sordes.

§. 310. Otitidem otalgia periculosiorem esse, ipsa definitione patet. Est periculosior otitis, quae intimiores auris partes invadit, et ad cerebrum propagatur; nam septima die interdum enecat. Haemorrhagiae narium, profusi sudores, urina copiosa et lateritium sedimentum deponens, materia purulenta ex aure manans resolutionem promittunt. Saepius vero otitis in suppurationem transit, et exeunte pure omnia minuuntur symptomata. Dolores acerrimi, delirium ferox, febris vehemens, convulsiones, extremitatum frigus, animi deliquia infausti omi-

nis sunt. Juvenes senibus citius pereunt. Nonnunquam post suppurationem in auribus supersunt ulcera, quae aliquando curationi resistunt, ac perpetuum sonitum aut strepitum, novas inflammatione, surditatem, et ossium cariem subinde inferunt.

§. 311. Ad otalgiam, et otitidem curandam, morbi caussam praefinire oportet. Ubi inflammatio praesto sit, ejus resolutio venae sectionibus, hirudinibus retro aures, cucurbitulis cruentis occipiti; aut scapulis applicitis, levibus purgantibus, clysmatibus emollientibus, pediluviis, potionibus diluentibus, et antiphlogisticis, remediis emollientibus extrinsecus admotis, aut sub forma fotuum, aut sub illa cataplasmatis, sollicite tentanda est. Si inflammatio in internis auris partibus subsit, gargarismata emollientia praetermittenda non sunt. Ad leniendum dolorem lac muliebre, vel vaccinum, aut oleum amygdalarum amararum in aurem instillentur. Quodvis vero in aures indatur, prius leviter calefaciendum est. Si

succedat suppuratio, cataplasmatibus emollientibus, vapore aquae tepidae in aurem immisso est promovenda. Post diruptum abscessum, positione in aurem affectam puris exitus adjuvetur, et hoc exiens ex simplici decotione hordei, vel mellita eluatur. Ubi magis abstergere interest, decoctioni hordei aliquid mellis rosacei adjiciendum est. In otalgia, si acerbus sit dolor, utilis est sanguinis missio. Si vero haec sit catarrhalis naturae, vesicans collo appositum, cathartica, diaphoretica, sialagoga, ut folia nicotianae ore detenta, opem afferunt. Ast si ab affectione spasmodica proveniat, anodyna, et antispasmodica juvant.

GENUS QUARTUM

Coryza.

§. 312. Levis inflammatio membranae Schneiderianae nares circumvestientis graece dicitur coryza, latine gravedo. Modo aliorum morborum symptoma est, modo primaria, homines cujusvis aetatis, ac temperiei corripiens. In hujusmodi mor-

bo ita membrana pituitaria siccescit, et tumet, ut aër per nares libere transilire non possit; vox fit rauca; obtunditur olfactus; gravitatis sensus ad frontem; capitis dolor modo universalis, modo ad frontem, et tempora circumscriptus, molestat aegros. Ab initio persaepe non extillat humor; mox tenuis, et acer, frequentia sternutamenta excitans, qui circa morbi finem crassior, tenaciorque factus emungitur. Saepe febris praecedit coryzam; interdum vero post eam evolutam suscitatur. Noctu sudores spontanei erumpunt, quibus febris, et symptomata minuuntur, et saepe evanescit morbus. Hic autem narium haemorrhagia, alvi fluxu, et copioso mucosi humoris screatu solvitur. Divisiones coryzae in siccam, et veram, quae humida est; in phlegmatorrhagiam, in qua membrana pituitaria sinus frontales vestiens afficitur, inutiles, aut impropriae videntur. Membrana enim pituitaria aut in una, aut in alia parte coryza affecta, iisdem fere stipatur symptomatibus.

§. 313. Caussa proxima coryzae est morbosa affectio membranae pituitariae ad levis inflammationis naturam accedens, qua ita vascula secernentia, et folliculi mucosi afficiuntur, ut prius nihil, deinde humorem serosum, tenuissimum, et acrem separent. Hinc facile exponuntur symptomata. Ob congestionem enim sanguinis, et seri in vasis sanguineis, et folliculis, membrana pituitaria prius siccescit, tumet, calet; comprimuntur papillae nerveae, et olfactus retunditur: mox a secreto, salsoque humore sternutamenta excitantur. Caussae, quae ad coryzam disponunt, sunt temperamentum laxum, pituitosum, lymphaticum; pituitariae membranae laxitas; habitus corporis cacochymicus; qualitas aëris humida, frigida, sicca, fervida: quae eam excitant, sunt cohibita insensibilis perspiratio; instantaneae vicissitudine aeris; susceptum frigus, excalefacto corpore; nicotianae abusus. Ex hisce quidem caussis congestio catarrhalis membranae pituitariae nullo negotio nascitur.

§. 314. Ut plurimum coryza levis morbus est, et sponte solvitur. Interdum

vero gravior et contumacior, maxime si caussae excitantes non evitentur. In illis, qui aliqua lue laborant, potissimum venerea, et scorbutica, extillans humor, utpote acrior, saepe pessima narium ulcera, ozaenas, sensimque cariem producit.

§. 315. Hic morbus ut inflammatio levis curandus est. Idcirco in juvenibus, et sanguinea temperie donatis, valida urgente febri, venae sectione curatio incohanda est. Sed plerumque potiones tepidae, diluentes, leviterque diaphoreticae, eccoprotica, balnea pedum, lecti tepor, suffitiones emollientes sufficiunt. Si vero coryza gravior, et diuturnior sit, afficiaturque caput, vesicantia collo, brachiis, aut pone aures applicita conveniunt. Si ab acriore stillante humore ulcera generentur in naribus, haec abstergenda sunt; sed investigandum, an caussa interior subsit, nimirum aliqua lues, aut complicatio cum alio morbo, ut opportuna adhibeantur auxilia. Victus intensitati et diuturnitati coryzae, ejusque caussis congruat.

ORDO SECUNDUS

Inflammationes jugulares

GENUS PRIMUM

Glossitis.

§. 316. Glossitis est linguae inflammatio. Primaria et vera rarissime occurrit; nam saepius ab anginis, aliisque morbis, incauta masticatione, ictu vesparum, curatione mercuriali, aut a caussis, quae linguam irritare, vulnerare, erodere possunt, inducitur. Primariae glossitidi ansam praebent, quae caeteras partes inflammare valent; sed praecipue haemorrhoidum, vel mensium suppressio, sudor pedum cohibitus, balnea frigida, aquae frigidae ingurgitatio, et continuo glacies in ore detenta, materies rheumatica in linguam translata.

§. 317. Hujus morbi symptomata sunt linguae dolor, rubor, tumor, durities, summa sensibilitas, intensa febris frigore

incipiens, quod protinus calor immodicus excipit. Dum haec increscunt, difficultas loquendi, et deglutiendi accedit, quae interdum omnino perditur. Adest salivae viscidae, et glutinosae continuus ex ore fluxus, tussis, rubor, aut pallor faciei, capitis dolor, vigilia. Interdum lingua tam tumida evadit, ut moveri nullo modo possit, et ex hiante ore efferatur. Ob bibendi, edendique difficultatem fames et sitis urget. Pulsus est durus, frequens; urinae parcae, rubrae; calor cutis adurens. Ob difficilem respirationem imminet suffocationis periculum; quod praecipue evenit, cum inflammatio totam linguam invadit. Si persistat linguae tumor, dolor pulsatilis fiat, color albidus in parte tumidiore, et molliore facta appareat, quin perficiatur suppuratio, non erit dubitandum.

§. 318. Glossitis est morbus discrimine plenus; nam nisi resolvatur, aut in abscessum transeat, sollicite aperiendum, suffocationis impendet periculum. Si non resolvatur, et symptomata deteriora fiant,

intra tres aut septem dies vitam eripit. Extemplo igitur mittendus est sanguis; maxime è jugulari vena, aut ranina, et hirudines circa mentum, cucurbitulae scarificatae dorso admovendae sunt. Praeterea valida alvi purgatio, enemata laxantia, pediluvia, cataplasmata collo apposita, vaporum aquae tepidae inspiratio conferunt. Si autem fieri possit, tepido lacte, et decoctione malvae os frequenter colluendum est. Si suppuratio sequatur, emollientibus fovenda est, abscessusque mature aperiendus. Si deglutitio difficilis sit, nutrientibus enematibus sustentetur aeger. Si instat suffocationis discrimen, linguae scarificatio; et si haec non sufficiat, tracheotomia proponitur.

GENUS SECUNDUM

Angina.

§. 319. Morbum, quem Latini anginam ab angendo, graeci συναγχην, et κυναγχην a praefocatione faucium nomi-

narunt. Animadvertendum vero est, non omnes auctores anginae nomine eumdem morbum significare voluisse, nec convenisse, an semper angina ab inflammatione pendeat. Quapropter a diversa morbi natura, et sede plura a plerisque anginae genera constituta fuere. Nos vero pro angina intelligere debemus faucium, laryngis, pharyngis, propinquarum partium, et illarum, quae ad ventriculum, et pulmonem usque extenduntur, affectionem, qua respiratio, vel deglutitio, vel utraque laeditur, et ad fauces strangulationis, dolorisque sensus inducitur. Angina igitur ab aliis morbis differt, qui eamdem sedem non habent, licet respirandi, aut deglutiendi difficultatem inferant.

§ 320. Tam veteres, quam recentiores anginae differentias vel ab ejus caussis, vel a sede descripserunt. Quoniam caussae plures sunt, nimirum inflammatio, congestio catarrhalis, oedema, tumor lymphaticus, aquosus, abscessus, aphthae, gangraena, corpora aliena infixa,

plures anginae statuuntur species, ut inflammatoria, catarrhalis, oedematodes, aquosa, lymphatica, pituitosa, apostematodes; scirrhodes, convulsiva, paralytica, ulcerosa, aphthosa, maligna gangraenosa, fortuita. Quoad autem sedem, quoniam inflammatio modo externas, modo internas obsidet partes in externam, et internam fuit angina distributa. Quidam recentiores externam, si exteriores pharyngis partes occupet, parasynanchen; si laryngis, paracynanchen appellarunt: internam vero, si interiores pharyngis partes invadat, synanchen; si laryngis, cynanchen vocarunt. Veteres medici post Hippocratem, qui tantum cynanches vocabulo usus est, haec nomina vario sensu usurparunt. Plerique voce cynanches anginam caninam significabant, in qua fauces, lingua, et facies intumescunt; illa autem synanches anginam, quae sine ullo exteriore malo adoritur. Hinc in manifestam et occultam diviserunt anginam. Apud Hippocratem lib. 3. de morbis invenitur paracynanches vocabulum ad le-

viorem affectum denotandum. Posteriores mitiorem anginam parasynanchen appellarunt. Praepositio enim παρὰ, morborum nominibus praefixa, minorem eorum intensitatem saepe indicat. Modo plures cum Petro Franchio internam cynanchen vocant, quae tonsillas, velum pendulum, laryngem, tracheam obsidet; externam, quae magis conspicitur, parotidea nuncupata, in glandulis parotidibus, maxillaribus, aut jugularibus haerens. Ad hanc etiam referunt cynanchen hyoideam, quae ab ossis hyoidis luxatione nascitur, a Valsalva primum observata, unde angina Valsalviana dicitur.

§. 321. Generatim angina in primariam, secundariam, symptomaticam, habitualem, sporadicam, epidemicam dividitur. Primaria nascitur a caussis, quae in partes ubi angina sedet immediate agunt; secundaria a caussis, quae prius in alium locum deinde in partes anginae proprias actionem exercent; symptomatica aliorum morborum constituit symptoma; habitualis, sive chronica vel est primaria, a partium affectarum

debilitate orsa, vel symptomatica, ab alio morbo proveniens, ut a phthisi pulmonari, a lue venerea, a glandularum scirrhis; sporadica nascitur a peculiari caussa; epidemica a generali, et morbum popularem constituit.

§. 322. Ex tot anginae speciebus tantum de inflammatoria, catarrhali, et maligna loquemur. Quoniam angina inflammatoria modo velum palatinum, columellam, tonsillas, musculos ossis hyoidis, linguae radicem; modo pharyngem, et initium oesophagi; modo ejus profundiorem partem; modo laryngem, et asperae arteriae initium; modo ejus profundiorem locum; modo glandulas parotides, maxillares, jugulares tenet, hinc nomine tonsillaris, pharyngeae, oesophagitidis, laryngeae, trachealis, tracheitidis, parotideae distinguitur. Quandoque eodem tempore plures ex his partibus inflammantur, et saepe inflammatio ex una in aliam partem extenditur, et descendit, vel ascendit.

§. 323. Plurimae, et variae sunt anginae inflammatoriae caussae remotae, prout ea nunc epidemica, nunc sporadica est. Oritur epidemica ab ignota anni constitutione, et populariter grassatur. Ob hanc constitutionem modo fauces, modo tracheam, modo parotides, et colli glandulae inflammatione corripiuntur. Sporadica a caussis saepe obviis ortum habet, ut sunt suppressio insensibilis perspirationis; aëris vicissitudines; diuturna vociferatio, declamatio; potio frigida aestuante gula ingesta; acria diversa; corpora peregrina in faucibus haerentia; tussis vehemens; vomitus frequens; retropulsio alicujus materiei morbificae; metastases, quae in decursu morborum non raro accidunt; tumores vel exterius, vel interius faucibus adnati. Magis ad inflammatoriam anginam proclives sunt mares, quam foeminae, maxime juvenes, plethorici, laboribus indurati, vino, spirituosis liquoribus, et alimentis calefacientibus abutentes, eumdem morbum alias perpessi, pilos flavos, aut rufos habentes.

Infantes vero anginae tracheali; pueri, et adolescentes anginae parotideae epidemicae magis prae caeteris subjacent.

§. 324. Angina faucium, sive tonsillaris, omnium frequentissima, vix aperto ore, et depressa lingua cognoscitur. Membrana mucosa faucium, velum pendulum palati, uvula, tonsillae, linguae basis musculi, glandulae dolent, tument, rubent. Statim angustiae sensus in faucibus percipitur; deglutitio difficilis est. Aut antea, aut postea evolutum morbum suscitatur febris, plus minusve vehemens cum pulsu valido, et duro. Interdum extrinsecus sub maxillis deprehenditur tumor. Fauces vel siccescunt, vel muco obducuntur. Dolor sub deglutione augetur; ac saepe cibi, potusque per nares regurgitant. Vox vel rauca, vel acuta, vel nasalis. Aegre respiratur, et facies quandoque rubet. Continuo fluit ex ore saliva. Somnus inquietus, interruptus per tussim, et suffocationis metum. Dolor extenditur ad internas aures cum molesto tinnitu, vel auditus fit gravis. In au-

gmento morbi cum febre symptomata augentur. Facies tumet, et livet; oculi prominent, et fulgent; caput dolet; molestat sitis; stipatur alvus; accedunt vigiliae, vaniloquia, delirium, anxietas. Si inflammatio ad pharyngem, et laryngem producitur, symptomata deteriora fiunt.

§. 325. Angina pharyngea, parum a praecedenti dissimilis, distinguitur symptomatibus musculorum, et membranae pharyngis affectioni referendis. Hujusmodi symptomata sunt rubor praecipue in imis faucibus; impedita deglutitio, dum respiratio satis commode absolvitur; febris acuta; ob dolorem, et tumorem affectarum partium cibi, et potus per nares regressio, sub qua aliqua particula levi negotio in glottidis rimam illabitur, et tussim vehementissimam, vomendique conatum interdum excitat. Si inflammatio augeatur, a membrana saccum pharyngis vestiente ad musculos, palatum molle, nares, aliasque proximas partes panditur, et admodum gravis fit.

§ 326. Cum inflammatio profundiorem oesophagi partem aggreditur, angina dicitur oesophagitis. Quoad symptomata a pharyngea non discrepat. Adest vero deglutitionis obstaculum in ipso affecto loco, ubi dolor tam sub deglutitione exacerbatur, ut ingesta rejiciantur.

§. 327. Angina Laryngea a dolore, ardore, tussi, voce exilissima, stridula, respiratione difficili, acuta febri deprehenditur. Dolor exasperatur sub deglutitione, quia larynx elevari debet, et sub exteriori attactu; sed acerbior est sub loquela, et vociferatione, quia multifariam musculi laryngis, et glottidis agunt. Respiratio fit stertorosa, praefocans; oculi, facies, collum turgent, et rubent. Si morbus amplior fiat, suffocatio sequitur, et mors.

§. 328. Angina trachealis, quae ab inspectis faucibus non cernitur, quia symptomata inflammationis in interiori tracheae cavitate explicantur, a febre acutissima; dolore compressione externa, et inspiratione aucto; frequenti, et impetuosa tussi; voce rauca, stridenti; respira-

tione difficili, sibila, et saepe sublimi cognoscitur. Praeterea facies tumet, livet, rubet; ingens est anxietas, et virium prostratio; pulsus sunt debiles, vacillantes; suffocatio imminet et mors.

§. 339. Si inflammatio in profundiorem tracheae partem descendat, dicitur tracheitis. Si vero usque ad bronchia penetret, peripneumoniae imaginem offert. Infantes obnoxii sunt cuidam anginae trachealis speciei, quae a Scotis, et Anglis appellatur croup, sive suffocatio. Hic morbus, in regionibus humidis, et frigidis familiaris, infantes, ac pueros praecipue adoritur, aliquando adultos, qui vero minus afficiuntur. Hujusmodi angina fuit ab aliis stridula, strangulatoria, polyposa, sive membranacea nuncupata. Plerumque epidemica, quandoque sporadica est. Ejus symptomata sunt febris catarrhalibus foenomenis stipata; dolor, tumor, rubor circa laryngem; lingua albido, et glutinoso muco obducta; peculiaris raucedo, quae vocem interruptam, resonantem, stridulam reddit; inspiratio cum sibilo; tussis

molesta cum excreatu non solum materiei albae, tenacis, puriformis, sed etiam concretionum cavarum, tubuliformium, membranarum figuram asperae arteriae, et bronchiorum referentium. Hoc abundanti excreatu respiratio sublevari solet, et omnia in melius vertuntur; ac aegri convalescunt, si glutinosa materies, et concretiones membranaceae aut ex toto, aut magna parte expellantur. Ex adverso si hujusmodi materies, aut tubuliformes membranae non rejiciantur, vel cito reproducantur, omnia ingravescunt; pulsus fit debilis, et intermittens; respiratio stertorosa; aeger moritur. Inspectione cadaverum inventae sunt membranae tenues internae tracheae superficiei adhaerentes, et nimia materies alba, tenax, purulenta bronchia infercicns, licet haec ulceribus obsessa non apparuerint. Ex quibus deducitur, hanc anginae speciem in affectione inflammatoria membranae mucosae laryngis, et tracheae consistere, ex qua glutinosa materies, et pseudo-membranarum formatio proficiscitur.

§. 330. Angina parotidea, quae dicitur etiam externa, a tumore glandularum parotidum, maxillarium, aut jugularium, qui aliquantum inflammatorius, durus, et dolens est; febre levi; respiratione, et deglutitione parum laesa cognoscitur. Modo pueros, modo juvenes, modo adultos corripit. Interdum oedema phlegmonosum circa mentum, aut jugulum cum dolorosa tensione in musculis, et ligamentis maxillarum, ossisque hyoidis comparet; imminuitur deglutiendi potestas; impossibilis est masticatio, et oris apertura; accenditur febris vehemens; dejiciuntur vires; non raro adest nausea, et vomitus materiei viridis; summa anxietas; inquietudo; et ad animi deliquia proclivitas. In primo casu, detumescentibus glandulis, post paucos dies resolvitur morbus; aut in viris ad testes, in foeminis ad mammas convertitur cum acuta abhinc febre; aut ex tumore ampliore facto comprimuntur venae jugulares, unde non parvi momenti nascuntur incommoda. In altero casu, cum oedema inflammatorium au-

getur, et ad pectus extenditur, non solum laeditur deglutitio, sed etiam per plures dies instat suffocationis periculum. Ad externam anginam, ut diximus, spectat hyoidea, primum a Valsalva, deinde a Petro Paulo Molinelhio observata.

§. 331. Angina faucium, sive tonsillaris frequentissime resolvitur, aut suppurat; interdum in tonsillarum schirrum convertitur, idque obvenit, ubi vitium scrophulosum subsit; rarissime gangraena terminatur. Resolutio a miti febre, respiratione libera, aliisque levibus symptomatibus; suppuratio ab intensiore et pungente dolore, et ab aegris alias suppuratione perfunctis; funestus finis a maxima virium dejectione, oris spuma, lingua tumida, et purpurea, extremitatum frigore, pulsibus debilibus, intermittentibus, caeterisque lethalibus signis arguitur. Angina pharyngea, si pharyngem non excedat, non tam affert discrimen; periculosior est, si ad laryngem, et tracheam propagetur. Angina trachealis, tam adultorum, quam infan-

tium, et puerorum propria, alea plenissima est; nam cita suffocatione aegros occidit. Aliquando tamen copioso excreatu materiei puriformis, sanguinolentae cum membranarum frustulis; abundanti sudore; urina resolvitur. Angina parotidea, si benigna, quarta, vel sexta die generali et profuso sudore; alvo soluta; haemorrhagia narium discutitur. Dum vero insigne est oedema, minitatur suffocatio. Testium tumores aut intra aliquot dies dissipantur, aut in ulcus abeunt.

§ 332. Curatur angina tonsillaris generalibus prius sanguinis missionibus, deinde localibus, quae fiunt aut hirudinibus circa guttur applicitis, aut cucurbitulis cruentis, aut incisione venae jugularis, praecipue instituenda, ubi maxime urgeat inflammatio. Si morbus aliorum vasorum depletionibus non vincatur, nonnulli, praesertim veteres, sectionem venarum raninarum utilem esse testantur. Alii incisionem tonsillarum proponunt; sed haec non vacat periculo. Praeterea antiphlogistica; emollientia; leviter alvum laxantia, ut

pulpa cassiae; gargarismata ex decotione tepida hordei, malvae, et lacte; cataplasmata ex mica panis et lacte; immissio vaporis aquae calidae non parum juvant; siquidem vel resolutioni, vel suppurationi favent, si ad hanc morbus vergat. Si albicans, et fluctuans abscessus sponte non rumpatur, lanceola est aperiendus. Si partes affectae ad duritiam inclinent, utilia sunt vesicantia collo admota; gargarismata resolventia; solutiones saponaceae exterius, et interius adhibitae. Tandem si succedat gangraena, conveniunt antiseptica. Non dissimilem medelam angina pharyngea exposcit.

§. 333. Angina etiam laryngea, et trachealis sollicitis, et copiosis sanguinis missionibus, tam generalibus, quam localibus in primis curatur, non excepta venae jugularis sectione, si necessitas urgeat. Infantibus, qui largas sanguinis missiones non tolerant, hirudinum applicatio valde congruit. Adde huc alvi purgationem, clysmata, pediluvia, fomenta, cataplasmata emollientia gutturi admota.

Praemissis sanguinis missionibus, etiam vesicans prope laryngem, et tracheam juvat. Si vero materies mucosa, aut puriformis in larynge, aut trachea collecta suffocet, utilia esse possunt emetica. Ratione caussarum, et indolis epidemicae constitutionis, interdum potius alia remedia, quam venae sectiones conveniunt. Idcirco modo digitalis purpurea, modo praeparationes antimoniales, modo mercurialia tam interius, quam exterius adhibita conferre videntur. Si tandem, cunctis incassum administratis auxiliis, impendeat suffocatio, ad tracheotomiam confugiendum est, licet haec operatio periculosa sit.

§. 334. Pro angina parotidea regimen antiphlogisticum requiritur. Ut plurimum benigna est, et naturae viribus brevi solvitur. Quies igitur, fomenta tepida et emollientia, unctiones oleosae, apta diaeta sufficiunt. Si vero adsit oedema phlegmonosum, febris vehemens, pulsus durus, aeger sit juvenis et plethoricus, venae sectio, etiam repetita; purgantia le-

nia, praecipue salina; emolliens cataplasma: deinde haustus salinus, et lenia diaphoretica conferunt. Si morbus recedat, et ad aliud viscus transiliat, augeaturque febris, remedia inflammationi hujusce visceris accommoda expediunt, maxime vesicatoria.

§. 336. Expositis anginae inflammatoriae speciebus, modo ad anginam catarrhalem, sive lymphaticam, sive notham, mox ad malignam descendamus. Illa tumore faucium lymphatico, seroso, modo pallido, modo instar erysipelatis rubro; dolore exiguo, non pulsante; uvula extensa, et linguae basim attingente; febre miti, catarrhalibus signis stipata, quae saepe abest, deprehenditur. Ad hanc spectant quae ab auctoribus sub vocabulo anginae aquosae, pituitosae, oedematosae describuntur. In his enim affectae partes laxae, molles, minime rubrae, leviter dolentes, fere pellucidae sunt. Febris deest, nec deglutitio, et respiratio valde laeduntur.

§. 336. Caussa proxima hujusce morbi persaepe in levi irritatione, et inflammatione membranae mucosae faucium, a lymphatica, et serosa colluvie inducta, consistit. Plures autem sunt caussae remotae, ut temperamentum laxum, et humidum; aetas senilis, et puerilis; sexus foemineus; aër nubilus, et humidus; repentinae tempestatum mutationes; praepedita perspiratio; vitia lymphae; morbosae diatheses, ut rheumatica, arthritica, venerea, scorbutica.

§. 337. Plerumque catarrhalis angina levis est, et saepe a naturae viribus superatur. Si vero gravior, magisque urgeant catarrhalia symptomata, glandulae cervicales, maxillares, parotides tumeant, difficilius discutitur, praecipue si aeger eumdem morbum perpessus sit. Interdum in abscessum, aut in duritiem scirrhosam, maxime si tonsillae afficiantur, transit. Discrimen portendit, si non solum tonsillae, uvula, velum palati, sed etiam epiglottis, glottis, et larynx

implicentur. Sic non vacat periculo, si diathesis scorbutica, et venerea in caussa sit; nam pessima, et depascentia ulcera generantur.

§. 338. Si angina catarrhalis febre careat, et levissima sit, abstinentia, et quiete, aut catharticis, sudoriferis, et vesicantibus collo, vel brachiis apponendis curatur. Si vero febris, et symptomata non sint levia; deglutitio, et respiratio difficilis; locum habet venae sectio, interdum reiteranda, praesertim si temperies ad sanguineam accedat, et aetas juvenilis. Secta vena, cervici, aut dorso cucurbitulae siccae, vel scarificatae applicari possunt, quae dum sanguinis missio generalis non convenit, valde utiles sunt. Si in infantibus venae secari nequeant, sive collo, sive brachiis applicentur hirudines. Deinde opus est, ut serosa colluvies revellatur, educaturque. Id catharticis, levibusque diaphoreticis fit. Praeterea vesicantia, gargarismata prius discutientia, deinceps adstringentia, et roborantia, ut composita ex

decotione corticis quercus junioris cum alumine et spiritu vini, aut ex vino rubro aluminoso, auxilio esse solent. Si, dum materies pituitosa, tenax fauces opplet, gargarismata fieri nequeant, in eas idonei liquoris injectio per syringam proponitur. Haec vero sine impetu fiat; et cavendum est, ne injectus liquor in laryngem penetret. Si glandulae turgeant, et lympha tenaci repleantur, fomenta, et cataplasmata emollientia, et resolventia, linimentum volatile expediunt. Si ulcera depascentia ob scorbuticam, aut veneream labem superveniant, praeter topica medicamina emollientia, detergentia, antiseptica, quae hujusmodi humorum vitiis opponuntur, utilia sunt.

§. 339. Angina maligna, seu gangraenosa a typho, et asthenica faucium, praecipue tonsillarum inflammatione constituitur. Dicitur maligna a prava ejus natura; gangraenosa a gangraena, quae citissime supervenit, faucesque corrumpit. Differt igitur ab angina inflammatoria, in qua nulla deprehenditur malignitas; fe-

bris est synocha; gangraena solum obvenit, cum inflammatio maximum attingat gradum. Quamvis angina maligna a veteribus noscebatur, ut plerique autumant, tamen nunquam fuit tam accurate descripta, ut anno 1620, cum Neapoli epidemice saeviebat, et per universam Italiam, Hispaniamque grassabatur. Hujus vero morbi historia fuit numeris omnibus absoluta, plurimisque observationibus illustrata, postquam alias regiones, ut Belgium, Galliam, et Angliam peragravit.

§. 340. Ex historiis anginae malignae ab auctoribus traditis clare patet, quam inter initia ejus signa diversa sint. Ea enim interdum incipit sub anginae inflammatoriae specie, quae, nisi singula spectentur, in errorem inducit. Saepius vero malignam indolem, sed non semper iisdem foenomenis, patefacit. Frequentiora symptomata sunt languor, et lassitudo; faucium dolor, ardoris sensus, erysipelaceus color; frequentes horrores; nausea, et vomitus; anxietas; capitis dolor;

lingua aut albo, et denso muco obducta, aut valde rubra; vox rauca; cervicis tensio; glandulae maxillares, tonsillae, uvula turgentes; interdum facies tumida, et rubra, interdum pallida, aut livida; oculi lacrymis, et sanguine suffusi. Cito in affectis partibus maculae albae, cinereae, livescentes, nigrae comparent, quae serpunt, et coeunt, deinde efformantur crustae, prompte nigrescentes. Hisce decedentibus, prodeunt subjacentia ulcera. Subinde aliae crustae succrescunt, altius subeuntes. Eodem tempore accedit coryza, et ex ore, naribusque humor tenuis, acer, et rodens effunditur. Aliquando supervenit diarrhoea, potissimum in infantibus; in adultis saepius alvus stipatur. Febris modo paullo ante faucium dolorem; modo cum ipso accenditur: Nunc in initio mitis est, et circa quartam diem intensior; nunc statim vehemens est, sed paullo post mitis. Horripilatione, aut frigore adoritur, quod calor urens cum anxietate, inquietudine, et lassitudinis sensu excipit. Accedunt nausea, vomi-

tus; pulsus debilis, celer, frequens, abnormis; interdum magnus, validus, durus, qui cito in debilem, mollem, parvum commutatur. Urinae prius crudae, aqueae, dein bile tinctae redduntur. Secunda, aut tertia die primum circa faciem et collum, mox per totum corpus maculae rubrae, serpentes, coeuntes, scarlatinae similes efflorescunt. Haec vero eruptio quoad principium, progressum finem irregularis est. Post quartam diem plerumque evanescit, super cuticulam squamulas linquens. Interdum etiam papulae morbillosae, aut exanthema miliare exilit; interdum rubor erysipelaceus circa collum, pectus, et brachia apparet. Erumpentibus maculis scarlatinae similibus, augetur gravedo; pulsus fiunt celeres, frequentes, parvi, irregulares; summa premit debilitas; advenit sopor, aut delirium; parotides, et glandulae colli tument, et dolent; respiratio stertorosa, et vox clangosa evadit; ab irritatione affectarum partium tam molesta excitatur tussis, ut suffocationem intentet; quando-

que haemorrhagiae aut ex utero, aut ano, aut naribus obveniunt. Haec symptomata circa vesperam asperiora, mane mitiora fiunt. Ingravescente morbo, aegri in mortiferum languorem decidunt, et crebro animo linquuntur; accedit putrida diarrhoea; urinae tenues, decolorae copiose secernuntur; pulsus evadunt exiles; lethale extremitatum frigus vitae centrum invadit; teterrimus foetor ex ore emittitur; facies, et si tumida, cadaverosa fit; gangraena oesophagi ad ventriculum, tracheae ad pulmones progreditur; et intra tertiam et septimam diem contingit mors. Aliquando morbus non est tam efferus; sed inchoante cutis eruptione, imminuitur febris, et symptomata; vires satis constant; confestim ulcera in gangraenam non abeunt. Si haec ita se habeant, donec eruptio decedat, de aegrotantium salute sperandum est.

§. 341. Quoniam angina maligna eruptioni cutis scarlatinae simili conjungitur, quae in reliquis asthenicis inflammationibus non effloret, conjici potest; inter il-

lam, et hasce inflammationes, licet ejusdem naturae, differentiam adesse. Quocirca plures arbitrantur, anginam malignam non esse, nisi scarlatinam asthenicam, ideoque scarlatinae nomine appellandam. Contagium enim scarlatinae pessimae indolis malignam eruptionem, et affectionem gutturis infert, ut in angina maligna observari solet. Sed quia aliquando absque affectione gutturis intervenit scarlatina, alii sunt, qui ab hac anginam malignam differre contendunt. Haec vero quaestio, quae tantum de nomine versatur, neo utilis, nec gravi examine digna videtur.

§. 342. Caussa proxima anginae malignae est contagium, vel in corpore genitum, vel in sanos ex infectis transvectum. Hoc enim aut expiratione, aut vaporibus exhalantibus, aut sanie et halitibus ab ore manantibus levi negotio propagatur. Magis pueri, quam adulti; foeminae, quam mares; debiles, quam robusti hoc contagium suscipiunt, et in morbum delabuntur; licet nulla sit aetas, et nulla temperies illius aggressione immunis. Caussae

remotae plures sunt, ut aër nimis humidus, calidus, siccus, palustris, pravis exhalationibus refertus; corruptarum aquarum usus; nocua, et alchalescentia alimenta; humorem vitia; quaedam aëris constitutio; etc.

§. 343. Angina maligna est rarus, et insidiosus morbus. Saepe enim sub benignitatis larva pravam naturam abscondit; ac dum nullum discrimen apparet, lethalia symptomata inopinanter prodeunt. Nil igitur est negligendum, ut quae bene, aut male ominantur, ab ipso morbi initio deprehendi possimus. Magna virium destitutio; febris vehemens; ulcera livida, nigra; ad gangraenam proclivitas; spiritus foetens; diarrhoea; pulsus exiles; rigor; animi deliquia; anxietas; inquietudo; facies tumida, cadaverosa; sopor; delirium; exanthemata livescentia; immodicae haemorrhagiae; ut signa infausti ominis habenda sunt. Ex adverso sanationis spem alunt validae vires; ulcera alba; imminutio febris, et symptomatum, accedente eruptione; copiosa excreatio;

nitentes oculi; sudores lenes, aequales, universi. Morbus ad salutem vergit, si decedat febris, mitescant symptomata, sanentur ulcera, functiones ad statum naturalem redeant, et cum levamine sudores erumpant.

§. 344. Siquidem morbus intra secundam, et septimam diem persaepe absolvit cursum, mature curandum est, ut malignus fomes expellatur, obsistatur gangraenae, et sustineantur vires. Copiosa, et iterata sanguinis missio nunquam convenit. Solum parca, et prudens sive generalis, sive localis interdum conducere potest, dum scilicet adhuc gangraena non apparuerit, partes affectae valde tumeant, et doleant, aegri juvenes, robusti, et plethorici sint. Hisce deficientibus conditionibus, aperire venas vetitum est. Ad detrahendum morbi fomitem, saltem magna ex parte, prompte porrigatur emeticum, quod si non sufficiat, iteretur, ut è locis, ubi ille haeret, exturbetur. Confert etiam solis enematibus, aut laxantibus alvum ciere; nam cathartica nocua

sunt. Quando morbus ad finem properat, praecipue si cacochylia in primis viis insideat, lenia purgantia exhibeantur. Hac enim ratione impeditur, ne repullulet morbus. Ut autem removeatur, aut coerceatur gangraena, et roborentur vires, cardiaca, roborantia, antiseptica praestant, ut cortex peruvianus, camphora, scordium, chamaemelum, serpentaria, contrayerva, vinum, etc. Laudantur acida, maxime mineralia, ad refraenandam sanguinis, et humorum dissolutionem, unde haemorrhagiae, et alvi profluvia oriuntur. Utilia etiam sunt localia remedia, ut fotus, rubefacentia circa collum, gargarismata. Si pustulae in faucibus appareant, illa juvant gargarismata, quae discutiunt, nempe ex diluto rosarum rubrarum cum pauco aceto, aut vino rubro; ex decoctione scordii, aut chamaemeli cum aliquot guttis spiritus salis edulcati, et melle composita. Si pustulae albae, aut cinereae tonsillas obsideant, et imminutus sit dolor, apta sunt detergentia, ut tinctura myrrhae, aqua calcis, spiritus vitrioli cum melle. Haec gangrae-

nae progressionem impediunt, ac efficiunt, ut celeriter eschara gangraenosa separetur. Detersa ulcera melle rosaceo illiniantur. Si urgeat dolor, adhibeantur gargarismata ex lacte, et aqua hordei. Si partes affectae altius gangraena exedantur, melle rosaceo et spiritu salis marini inungantur. Alii gargarisma ex aqua rosarum cum aliquot granis salis saturni; alii aquam vegeto-mineralem; alii alchali volatile; alii cum Meadio inter morbi initia tonsillarum gangraenosa macula affectarum scarificationes, melle rosaceo illiniendas, et decoctione hordei abstergendas proponunt. Ad corrigendum oris foetorem injectio fit aquae aluminosae, quae ex libra aquae et dimidia uncia aluminis componitur. Si gargarismata fieri nequeant, decoctio corticis peruviani cum spiritu vini, et aqua cinnamomi detineatur in ore. Aër sit purus; mundities summa; pro victu jura pulli tenuia, aut carnis vitulinae cum recentium ovorum vitellis concedantur. Nec potiones, nec alimenta sumantur, nisi prius fauces abluantur, ne gangraenosus ichor cum illis devoretur.

ORDO TERTIUS

Inflammationes pectoralis

GENUS PRIMUM

Peripneumonia, Pleuritis

§. 345. Peripneumonia, et pleuritis sunt inflammationes pulmonum, quae non diversa sede, et natura; sed tantum ratione symptomatum discrepant. Jam pridem pleuritis pleurae, peripneumonia pulmonum inflammatio putabatur. Sed cadaverum dissectionibus observatum est, in utraque inflammatione pulmones modo in una, modo in alia parte, modo in tota eorum spongiosa substantia inflammatos esse; et quandoque in illis, qui pleuritide perempti credebantur, nulla morbi vestigia in pleura apparuisse. Persaepe vero dum inflammantur pulmones, ad membranam eos circumvestientem propagatur affectio. Hippocrates in ge-

nuino lib. de locis in homine Num. 24. inquit, peripneumoniam ex utraque pulmonis parte inflammata; pleuritidem ex altera tantum inflammata fieri. Hoc demonstrat, pleuritidis sedem non in succensa pleura collocasse. Verum animadvertendum est, symptomata peripneumoniae etiam manifestari, ubi una tantum pulmonis pars incenditur. Differentia igitur symptomatum, in qua pleuritidis et peripneumoniae diversitas consistit, non ex una, aut ex duabus inflammatis pulmonum partibus; sed ab alio fonte nascitur, ut infra dicemus.

§. 346. Inflammatio pulmonum aut vera est, aut notha; primaria, secundaria, symptomatica; benigna, aut maligna sporadica, epidemica; interdum periodica. Nobis praecipue de vera, notha, et maligna agendum erit. Notha est periculosus morbus, et ut videbimus a vera diversus; maligna est plerumque epidemica, signis malignitatis stipata, quae ob facilem in gangraenam transitum gangraenosa vocatur. Aliquid etiam de inflam-

Digitized by Google

matione musculorum intercostalium, eorumque involucrorum dicendum erit, quam cum plerisque pleuritidem spuriam appellabimus, et in qua etiam pleura interdum inflammatione afficitur.

§. 347. Etsi peripneumoniae nomen superficiei pulmonum inflammationem indicet, tamen etiam ad profundiorem significandam accipitur. Peripneumoniae verae signa sunt febris acuta rigore, vel horrore ut plurimum orsa, cui succedit calor; respiratio continuo difficilis, et non raro tam suffocans, ut ab aegris erecto corporis trunco exerceatur; expiratus aër calidior; pulsus plerumque ab initio undosus, et mollis, interdum magnus, durus, aut intermittens, celer, debilis; thoracis pondus, gravitas, obtusus dolor, saepe ad sternum, et spinam extensus; tussis plerumque humida cum expectoratione, primum materiei flavae, viridescentis, sanguineae, deinde crassae, ac puriformis; in graviori morbo interdum sicca, augmentum symptomatum inducens; genae tumidae, rubrae, calidae; oculi protube-

rantes, et rubore suffecti; vultus saepe summam anxietatem exprimit; lingua arida, aut flavo, viscido, ac nigro muco obducta, aut dolentibus sulcis divisa; desiderium hauriendi frigidas potiones, et frgidum aerem respirandi; nausea, et vomendi cupiditas; capitis dolor; urinae modo tenues, et aquosae, modo crassae, et rubrae. Ingravescente morbo ac undique sese diffundente, ob insignem circulationis impetum, et nervosi systematis affectionem graviora fiunt symptomata, ut respiratio difficilior; oculorum languor; delirium, vel coma somnolentum; sputa cruenta; thoracis stertor; summa anxietas; inquietudo; extremitatum frigus; labiorum, et unguium livor; animi deliquia; involuntariae lacrymae; pulsus celerrimi, inaequales, intermittentes, vermiculares, exiles; nares pulverulentae, quae diductis pinnis moventur; ac extremo virium defectu supprimuntur sputa; erumpunt sudores glutinosi, viscidi, frigidi circa caput, collum, et pectus; con-

velluntur artus; quae mortem instantem praenuntiant.

§. 348. Signa pleuritidis verae, quae ut diximus, non pleurae sed pulmonum est inflammatio, ab illis peripneumoniae parum differunt. Haec enim sunt febris acuta; dolor lateris pungens, praecipue si morbus in sinistro latere sedeat, nunquam, ut in peripneumonia, obtusus, ab inspiratione, et concussione tussis valde auctus; difficilis respiratio; tussis molesta, dolens, prius sicca, mox humida, et saepe cruenta, aut sputa sanguineis striis variegata eduntur; pulsus duri; urina parca, rubra; decubitus ut plurimum in affectum latus molestus. Dum ingravescit morbus, cuncta fiunt graviora, et cephalalgia, pervigilium, delirium accedunt. Insuper animadvertendum est, quod febris modo praecedit, modo dolorem excipit; dolor autem modo in uno, modo in utroque haeret latere; modo ad jugulum, claviculam, omoplatam extenditur, modo ad hypochondria permeat; modo latet, et nisi

forti inspiratione, et concussione tussis non percipitur; quo in casu pleuritis occulta nominatur. Tam in peripneumonia, quam in pleuritide missus sanguis in duram massam absque multo sero concrescit. Haec massa, si non in prima, in altera, aut tertia venae sectione crusta phlogistica obducitur, in medio concava, circumque reflexa. Haec modo alba, modo flava, modo viridiscens, modo coccinea, tam interdum firma est, ut aegre dividi possit. Praecipua igitur differentia, quae inter peripneumoniam, et pleuritidem intercedit, in dolore consistit, qui in illa aut deest, aut est obtusus, in hac atrocissimus. Hujusce differentiae ratio quaeri solet. Nonnulli eam in loci affecti diversitate inveniunt; nam inquiunt, peripneumoniam in interiori pulmonum substantia sedere, quam ob pleurae defectum obtusiori sensibilitate donatam fingunt; in exteriori ambitu pleuritidem, quem ob cingentem pleuram sensibiliorem credunt. Hujusmodi vero opinio teneri non potest; siquidem pulmones in

internis partibus sensibiliores esse debent, utpote copiosius referti nervis; pleura autem paucis ditatur nervis, unde pulmones ex hac sensibiliores non fiunt. Probabilius igitur videtur, quod in peripneumonia partes minus sensibiles; in pleuritide sensibiliores corripiantur morbo.

§. 349. Saepe inflammatio pulmonum ad vicinas, et connexas partes extenditur, nimirum ad pleuram, diaphragma, mediastinum, pericardium, et cor; et aliquando ex hisce partibus ad pulmones propagatur. Idcirco varia subsequuntur symptomata, pro partium affectarum ratione, ut dolor atrocissimus, tussis vehemens, orthopnoea, delirium, singultus, anxietas, syncope, convulsiones. Quoniam vero interdum mediastinum, pericardium, et cor per se, et sejunctim inflammentur, de pericardii, et cordis inflammatione, quae peculiaribus signis distinguitur, seorsum agemus; sed de illa mediastini, quae quoad signa parum a pleuritide discrepat, pauca modo dicamus. Dum mediastinum inflammatione corripi-

tur, urget dolor, modo in medio pectoris; modo anterius, si scilicet afficiatur illius pars, quae sterno adnectitur; modo posterius, si pars spinae proxima laboret; modo in utraque parte, si utraque inflammetur; evolvitur acuta febris; spiratio est admodum frequens, celer; praesto sunt jactatio; sitis; desiderium bibendi frigidam aquam, et frigidum aërem respirandi, ob ardorem, quem aegri in pectore patiuntur; tussis sicca in initio, deinde humida; sputa vel flava, vel rubra; pulsus durus; syncope, si inflammatio ad pericardium producatur.

§. 350. Caussae peripneumoniae, et pleuritidis ab illis reliquarum inflammationum non distant. Ergo vulnera; contusiones; quaedam anni tempora, ut frigidissima hyems, calidissima aestas; temperamentum sanguineum; vehemens exercitatio pectoris, et pulmonum; potiones frigidae, dum aestuat corpus; liquorum spirituosorum abusus; inspirati vapores acres, ut sulphuris, acidorum mineralium; metastases materiei morbosae; ca-

tarrhales, et rheumaticae affectiones neglectae; morbi pectoris praegressi, sive acuti, sive chronici; prava pectoris, et pulmonum constitutio; vicissitudines frigoris, et caloris; quaedam anni constitutio saepe in caussa sunt.

§. 351. Quamvis inflammatio vera pulmonum alea plena ut plurimum sit, tamen interdum levis est, et parum diffusa, aut naturae vires resolutioni favent. Investiganda ideo sunt signa, an fausta, vel infausta sint. Ad prima spectant libera, et facilis excreatio materiei subflavae, albae, spissae, striis sanguineis tinctae sine vehementi tussi, cum doloris pectoris levamine; urinae copiosae, sedimentosae, quae scilicet sedimentum lateritium rubrum, vel album deponunt; sudores abundantes, universales, calidi; haemorrhagiae nasales, vel haemorrhoidales; alvus prius clausa, deinde soluta, ac dejecta materies mucosa, et aliquantum suffecta sanguine, aut biliosa; eruptio erysipelatosa in partibus externis, et interdum pustularum miliarium, ut observant

practici. Ad altera pertinent febris violenta; dolor valde pungens, et dum ad alterum latus transgreditur semper gravis, aut acutus, quamvis in gravissimis inflammationibus interdum sit obtusus, parumque sensibilis; tussis crebra, vehemens, interrupta, anhela, erecto corpore absoluta, admodum molesta, dolores exasperans, sicca, aut cum excreatu tenui, viscoso, et sine levamine; pulsus nimis duri, irregulares; siccitas, et calor cutis; viscidi sudores frontis, et colli; anxietas, et inquietudo; facies rubra, tumida; oculi scintillantes, mobiles, feroces; diuturna vigilia; vaniloquium; delirium. Hippocrates observationes de urinis instituit, ut praecipue in coacis praenotionibus videre est, ex quibus colligitur, quod ex solo urinarum examine non multum quoad morbi mutationes, et exitum praenuntiari potest. Tamen urinae, quae nimium a statu naturali recedunt, et frequenter variant, longum, et periculosum esse morbum ostendunt. Etiam pulsus, si seorsum ab aliis symptomati-

Digitized by Google

bus spectetur ; facile in errorem inducit. Dum enim mortem indicare videtur, aegri recolliguntur a morbo; dum ex duro inequali, parvo mollis, aequalis, et magnus fit, aegri moriuntur. Ad alia igitur symptomata, et in primis ad respirationem respiciendum est. In inflammationibus pectoris quo facilior est respiratio, eo magis felicem eventum spondet, et viceversa. Itaque si pulsus bonus appareat, et respirandi difficultas augeatur; magnum elucet discrimen. Tamen generalis regula est; si pulsus durescit, et frequentior fit, morbi augmentum, et periculum; si mollescit, et aequalis est, morbum remitti denotat, et spem boni eventus alit.

§. 352. Si ad decimam quartam diem inflammationis symptomata persistant; nullum adsit resolutionis signum; morbus augeatur; dolor pulsatilis evadat; sub imminuta febre, sed circa vesperam aucta, magis respiratio difficilis, tussisque premat; pulsus mollis, frequens; recurrant horrores; adsit debilitas, genarum,

et labiorum rubor, anxietas, sitis, sudores partiales de impendente suppuratione dubitandum non erit. Pus confectum doloris cessatio, et sensus ponderis in parte affecta declarant. Si hoc non exeat, sed intra pulmones, quasi in cystide colligatur, hujusmodi abscessus vomica nuncupatur. Si vero in thoracis cavum expandatur, empyema dicitur. Hujus signa sunt sensibilis fluctuatio, aut strepitus intra pectoris cavum, dum concutitur, aut circumvolvitur corpus; haec vero fluctuatio forsan non percipitur, si magna puris effusio ubique cavum inundat; difficillima respiratio; febris lenta; diaphragmatis depressio; hypochondriorum, et epigastrii elevatio; facies, et pedes tumefacti; urina sedimentum album, et foetens dimittens; putridus halitus, et sapor oris; corporis macies, et reliqua, quae in tabidis occurrunt. Aliquando, rupta vomica, suffocantur aegri; nam effusum pus comprimit, et obstruit bronchia: respiratio fit brevis, celer, quae erecto corporis

trunco exercetur; pulsus debilis, frequens. Quandoque subita suffocatio non evenit, sed fatiscentibus viribus aegri pereunt, aut lenta tabe pereduntur.

§. 353. Raro inflammatio pulmonum convertitur in scirrhum. Hunc lentum morbum manifestant sensus ponderis; difficilis respiratio, quae dum corpus movetur, magis est laboriosa; decubitus in alterutro latere, aut in dorso tantum tolerabilis. Haec symptomata potissimum occurrunt, si scirrhosa durities per non exiguum spatium extenditur. Si vero scirrhosi tumores sparsim formantur in pulmonibus, molestat potius tussis sicca, frequens, sub quaeumque corporis, et pulmonum exercitatione ingravescens; pulsus parvi, inaequales, celeresque fiunt.

§. 354. Inflammatio pulmonum vehementissima in lethalem gangraenam facile transit. Hanc indicant doloris cessatio absque evidenti caussa; sensus ponderis; sputa nigricantia, livida, foetentia; halitus graviter olens; vires dejectae; facies

moesta, pallida, aut rubro-caerula; oculi tristes; pulsus debiles, parvi, inaequales, creberrimi; dejectiones frequentes, virides; urina rubra, aut nigrum sedimentum deponens; frigidi sudores capite, et trunco manantes; interdum macula nigra, aut livida in latere, ubi haerebat dolor; leve delirium; tendinum subsultus; extremitatum frigus; quae cito sequitur mors.

§. 355. Violenta pulmonum inflammatio etiam in copiosam aquosi humoris effusionem, hydrothoracem constituentem, abit. Tum acceleratur respiratio, erectoque trunco peragitur; inspiratio est difficillima; cessat dolor; sensus oppressionis premit; livescit facies; oculi languent; deficiunt vires; pulsus est debilis, frequens; deest excreatio, et suffocatio sequitur. Saepe humorum effusioni adjungitur copiosa lympha coagulabilis, pulmones inundans, quibus sub forma pseudo-membranae adnectitur, ut sectione cadaverum deprehenditur. Quandoque per exudatam viscidam, et tenacem ma-

Digitized by Google

teriem pleurae costas ambienti pulmones adhaerent.

§ 356. Ad hanc inflammationem curandam matura, et larga sanguinis missio instituatur, pro symptomatum vehementia, et aegri viribus iteranda. Hinc parti affectae, et haemorrhoidibus hirudinum; pectori, et dorso cucurbitularum scarificatarum applicatio utilis est. Praeterea, si ingens sit pulmonum inflammatoria congestio, inspiratio laboriosa, reditus sanguinis a capite praepeditus, vena quoque jugularis secanda est. Hoc in casu venae jugulares turgent, facies est rubro-livida, et magna anxietas, pulsus obscurus, depressus, delirium accedunt. In extrahendo sanguine curandum est, ne deficiant vires, utpote ad excretionem sputorum apprime necessariae; et aegri conditionis, epidemicae constitutionis, naturae caussarum ratio habenda est. Sanguinis missiones iterari debent, donec vehementia febris, pulsuum durities, respirationis labor, doloris acerbitas perseverent. Si inflammatio jam imminuta ite-

rum exacerbetur, quaevis sit dies, vena secanda est. Insuper potiones emollientes et diluentes, lenia laxantia, fotus, enemata emollientia, mucilagines gummi tragacanthi, aut arabici maxime juvant. Si primas vias saburrae onerent, post unam, alteramve sanguinis missionem, aliquo ecboprotico alvus ducenda est. Si hoc inter initia morbi porrigatur, timendum non est, ne excreatio impediatur. Adhibito antiphlogistico regimine, si signa resolutionis non compareant, lateri dolenti, brachiis, femoribus, suris apponantur vesicantia, quorum utilitatem satis experientia confirmavit. Potionibus autem tepidis ex diluto florum violarum, sambuci, verbasci, quibus adjici potest nitrum purum, aut stibiatum, oxymel simplex, sudor eiendus est, aut jam manans servandus. Inflammatione imminuta, expectorantia conducunt, ut oxymel scilliticum, gummi ammoniacum, chermes minerale, praecipue si sputorum visciditas, et cohaerentia nimia sit. Ubi jam vires fatiscere incipiant, danda sunt

jura, camphora, et decoctum polygalae senechae. Si post antiphlogisticum regimen dolores, vigilia, tussis, et spasmodici affectus persistant, paregorica locum habent, quibus haec placantur symptomata, et aegris conciliatur quies. Cavendum vero est ab opio, et opiatis, donec inflammatio vigeat, in qua dolor, tussis, vigilia a magno pulmonum infarctu pendent. Sic ab hisce remediis abstinendum, si facile edantur sputa, ne ea supprimantur, et aegri suffocentur.

§. 357. Cum suppuratio succedat, et vomica jam sit efformata, ejus disruptio prudenter tentanda est. Innocua igitur adhibeantur auxilia, ut emollientia, lubricantia, aliqua corporis exercitatio. Violentiora, quae corpus concutiunt, sternutamenta, et vomitum provocant, fugienda sunt. Dum enim violenter rumpitur vomica, suffocatio timenda est. Hac autem rupta, purisque evacuatione incohata, expectorantia, et bechica conveniunt. Cum repurgatum sit vomicae cavum, cura nos teneat, ut vulnerariis, cor-

tice peruviano, lacte, et victu vegetabili cito coeat. Si vero vomica non exiccetur, et diu pus emittatur, aqua calcis vivae, vel sola, vel cum lacte celebratur. Si in pectoris cavitatem diffunditur pus, et empyema fit, paracentesis inter nonam et decimam costam, quinque vel sex digitis procul a vertebris instituatur. Quamvis haec punctio nihil interdum profuerit, indubium est, quin saepius prospere cessit. Si creditur damnosa paracentesis, quia saepe pleura pulmonibus adhaeret, tum non punctione, sed incisione aperiri potest latus, et immissis digitis pulmones removeri. Intrinsecus antiseptica, et lenia balsamica porrigantur; extrinsecus abstergentia, et vulneraria injiciantur.

§. 358. Pro schirro quaevis medela inefficax plerumque est. Tamen gummosa, saponacea, mercurialia usurpari queunt. Sic pro gangraena, quamvis lethalis sit, antiseptica, et cardiaca omittenda non sunt.

§. 359. Veniamus modo ad alias peripneumoniae, et pleuritidis species. Dicitur peripneumonia notha, sive spuria, quae a copiosa, viscida, et tenaci pituita bronchiorum fines inferciente nasci videtur. Hic morbus a I. P. Franchio ut fortior bronchiorum catarrhus habetur. Symptomata sunt febris mitis et lenis; frigoris et caloris vicissitudines; lassitudo; tussis non continua cum excreatu humoris mucosi, viscidi, raro sanguine conspersi; raucedo; pectoris obscurus dolor, seu potius oppressionis et ponderis sensus; caput acerbe dolet, praecipue sub tussi; vertigines, vel soporosus somnus; interdum vomitus; exigua sitis; pulsus molles, celeres, debiles, inaequales; urinae pallidae, turbidae; lingua sordida, et albo muco obducta; fugaces genarum rubores; stertor a viscida materie sub tussi modo violenta, modo exigua excitatus; palpitationes cordis; aliquando deliquium; summa virium debilitas; anxietas; vultus plumbeus; lividae ungues; extremorum frigus.

§. 360. Ad hunc morbum proclivio-res sunt senes, pituitosi, laxi, obesi, cachectici, vino, et liquoribus spirituosis indulgentes, locorum palustrium habitatores, qui pluries catarrhales affectus perpessi sunt, maxime tempore verno, et autumnali, et dum tempestates pluviosae, et repentinae coeli mutationes contingunt.

§. 361. Ab observatione symptomatum erui potest praesagium. Febris enim levis; facilis respiratio, et mucosae materiei excreatio; universalis sudor; pulsus molles felicem morbi exitum promittunt: infelicem vero febris vehemens, dyspnoea; stertor; pulsus tenues, debiles, inaequales, intermittentes; extrema debilitas; insensibilitas; profundus somnus; extremorum frigus; partialis, viscidus, et frigidus sudor.

§. 362. Pro hujusce morbi curatione non semper convenit venae sectio, quae saepe potius nocet. Solum utilis est, si febris sit violenta, respiratio laboriosa, validae vires, aetas juvenilis, et omnia sym-

Digitized by Google

ptomata ad ea verae peripneumoniae accedant. Si haec post sanguinis missionem persistant, magisque pulsus explicetur, iterum secetur vena, sed cautissime, aut cucurbitulae scarificatae dorso applicentur. Deinde lenia emetica conferunt, quibus a tenaci materie pulmones liberantur, et perspiratio augetur. Etiam lenia eccoprotica, enemata, diluentia, expectorantia, epispastica utilia sunt, ut gummi ammoniacum, oxymel simplex, et scilliticum, serum lactis, infusum florum sambuci, chermes minerale, vesicans inter scapulas, aut medio pectori appositum.

§. 363. Pleuritis spuria, ut supra diximus, illa inflammatio vocatur, quae musculos intercostales, eorumque velamenta tenet; licet interdum propter propinquitatem etiam pleura affici videtur. In hoc morbo ita dolor pressione augetur, ut decubitus in affectum latus valde molestus sit; tussis aut nulla, aut exigua, et sicca; aliquando in externis partibus tumor, calor, et aliquid ruboris deprehenditur. Nonnulli sunt, qui pleuritidem no-

tham appellant quemcumque dolorem costis spuriis haerentem; siquidem illuc nec pleura, nec pulmones perveniunt. Plures ab auctoribus nothae pleuritidis statuuntur species, quae ab exposita discrepant, utpote secundariae, aut symptomaticae, ut rheumatica, arthritica, phthisica, scorbutica, venerea, exanthematica, hypochondriaca, convulsiva, flatulenta, catarrhalis, gastrica, biliosa, verminosa, periodica, metastatica. Adnotandum vero est, interdum pleuritidem biliosam esse primariam, ut plures auctores testantur. Tum praeter febrem cum intenso calore urget dolor saepe vagus, et tussis cum sputo bilioso, subcruento, spumoso, quod aegre, et post violentam tussim ejicitur; pulsus est celer, et frequens; genae roseo colore rubent; molestant anxietas, sitis ingens, vigiliae, jactationes; emissus sanguis crusta non tegitur, et rubellus apparet. Quidam hanc pleuritidem esse erysipelatoden arbitrantur.

§. 364. Inquit Hippocrates, pulmones affici erysipelate, idque lib. de int.

affect. num. 8. ita descripsit. = Morbus autem hic aestatis tempore maxime fit. Haec igitur ab ipso aeger patitur. Tussis incidit sicca, et rigor, et febris, et erecta cervice spiratio, dolor fortis in pectoribus: et nares aperit, velut equus a cursu. Et linguam exerit, velut canis aestate ab ardoris flatu ustus. Et tumor detinet pectora, et parum loquitur, et rubor est in facie, et pruritum fert in corpore, et prae dolore decumbere non potest, sed ipse seipsum anxius jactat. Hic in septem diebus moritur. = Plurimi auctores hunc morbum experientia confirmant. Inquiunt a maligno, acri, et subtili sero posse pulmones incendi, ut denotant febris vehementissima, tussis inanis, linguae siccitas, rubores genarum fugaces, internus ardor, pulsus velox, non valde durus, spiritus ore emissus interdum praecalidus, urinae flammeae, anxietas, jactatio, debilitas, dolor modo exiguus, modo acutus, sanguis è vena missus plerumque valde ruber, et spumosus. Forsan hujusmodi morbus peripneumoniae mali-

gnae varietas est; nam cito enecat, et in cadaveribus pulmones rubri, nigricantes, flaccidi, et gangraena affecti, dum in vera peripneumonia, et pleuritide duri, et infarti deprehenduntur.

§. 365. Adversus pleuritidem spuriam fere eadem ac in veram adhibentur remedia. Si ea non resolvatur, et in suppurationem transeat, emollientia conducunt, et abscessus, qui versus exteriora tumore molli cognoscitur, ferro aperiendus est. Cum pleuritides spuriae auctorum symptomaticae, aut secundariae sint, curatio variat secundum primarii morbi naturam, a quo producuntur. Si enim pleuritis sit rheumatica, praeter venae sectionem, cucurbitulas siccas, aut scarificatas, fotus, eccoprotica, conveniunt diluentia, et quae leviter diaphoresin promovent: si convulsiva, emollientia, anthysterica, anodyna: si gastrica, biliosa, verminosa, emetica, lenia purgantia, anthelminthica: si venerea, scorbutica, quae in utramque luem usurpari

solent: si periodica, praemissa sanguinis missione, ac miti purgatione, cortex peruvianus praecipuum remedium est. In epidemicis constitutionibus perquirenda est regnantis morbi natura; nam aliquando sanguinis missio nocet, et solum emetica, et eccoporotica juvant.

§. 366. In pulmonum erysipelate venae sectio saepe officit, ut etiam evenit in pleuritide biliosa sive primaria, sive secundaria, in quam emetica, et eccoprotica praestant. Caute igitur in hisce morbis vena secanda est. Praeter sanguinis missionem, si haec locum obtinuerit, nil ad restituendum partium solidarum robur conducibilius videtur, quam frigidae potiones. Plurimum calidae potiones nocerent, si adsit humorum tenuitas, et fervor, et aetas, temperies, anni tempus effervescat. Ad bilem autem corrigendam, et auferendam diluentia, subacida, et eccoprotica adhibeantur, ut decotio hordei, serum lactis tamarindatum, syrupus violarum, pulpa tamarindorum, cremor tartari cum saccharo. Tam in pulmonum

erysipelate, quam in biliosa pleuritide laudatur acidorum fossilium usus, ubi, detracto sanguine, febris parum aut nihil remittitur, motusque arteriarum nimis sit concitatus. Hujusmodi enim acida sanguinis calorem, et fervorem emendant, et irritabilitatem imminuunt. Haec vero dum id efficiunt, exasperant tussim, et sanguinem ad concrescendum proclivem reddunt; ideoque nec indiscriminatim, nec sine prudentia porrigantur.

§. 367. Peripneumonia maligna, aut gangraenosa cito ad gangraenam, sphacelum, et mortem tendit. Saepe nervosarum febrium, nec non gastricarum, et biliosarum symptoma est. Enimvero nervosae febres, et pestis inflammatione pulmonem, aliorumque viscerum pessimae indolis stipantur. In gastricis febribus, et biliosis a corrupta bile, aliisque sordibus necroticum forte principium gignitur, pulmones viribus vitalibus exuens. Aliquando idiopatica est, ejusque symptomata lethalem pulmonum affectum patefaciunt: saepe epidemica; interdum

sporadica. Epidemica a venenato miasmate, aut a quodam necrotico principio nasci videtur, quod vel inspiratum adhaeret pulmonibus, vel prius in sanguinem infusum ad eos deinde fertur, viresque vitales exscindit. Sporadica ab universali, et partiali pulmonum asthenica diathesi persaepe nascitur. Nam in hominibus debilibus, et valetudinariis, actioni debilitantium caussarum obnoxiis obvenit.

§. 368. Febris nervosa, ejusque symptomata peripneumoniam malignam comitantur; sed cum haec primaria sit, in ipso initio a symptomatibus pulmonum affectionem denotantibus cognoscitur. Aegri enim angustiam, sensumque ponderis in pectore, et in ejus aliqua parte dolorem prius pungentem, mox gravem, et obtusum cum respirandi difficultate, tussi modo sicca, modo pauca sputa serosa, tenuia, biliosa, sanguinea, saniosa fere subnigra efferente patiuntur. Nonnulli ad allevandum respirationis laborem aut suspiria ducunt, aut erigi tentant,

sed ob virium impotentiam relabuntur, animoque deficiunt. Facies luctuosa, et oculi languentes apparent; pulsus inter initia validi, cito debiles, parvi, inaequales, et mutabiles fiunt; urinae primum tenues, deinde turbidae, subnigrae, lixiviosae, sanguineae redduntur; interdum peticulae variae formae, et coloris, aliaque exanthemata malignae indolis efflorescunt; interdum haemorrhagiae ex naribus, alvo, aliisque locis superveniunt; summa est virium dejectio, quae non semper ab exordio, ut in reliquis malignis morbis, sed in progressu contingit; sanguis è vena missus ut plurimum dissolutus, sed aliquando durissima crusta phlogistica tectus conspicitur.

§ 369. Hujusmodi morbus fere semper lethalis est; sed certius, et promptius ducit in extremum diem, si non recte curetur, et sanguinis missio sine consilio fiat. Haec enim generatim nocet; et dum expedit, ut in plethoricis, et aetate florentibus, sine maxima cautela institui non potest. Si haec iteranda sit, quod

rarissime evenit, ab effectibus prioris venae sectionis, et regnantis constitutionis natura cognoscitur. Quandoque initio convenit aut tartaro emetico, multa aqua diluto, aut ipecacuanhae radice vomitionem movere. Emetici utilitas in quibusdam epidemiis indubia visa est. Deinde incitantia universalia juvant, ut china-china, radix serpentariae virginianae, camphora, scordium, chamomilla, vinum rubrum; et quae aliquo modo in viscus affectum agunt, ut vapores inspirandi ex aqua et aceto, vesicantia pectori, ac dorso applicita, linimenta spirituosa, lotiones calidae, fotus roborantes, frictiones. Victus in hac pulmonum inflammatione gangraenosa aliquantum largior sit.

GENUS SECUNDUM

Carditis.

§. 370. Interdum paricardium, cor, et majora vasa inflammatione afficiuntur. Ut peripneumoniae nomine inflammationem pleurae et pulmonum, sic carditidis

voce illam pericardii et cordis intelligimus! Enimvero aut harum partium inflammationes inseparabiles sunt, aut earum symptomata parum discrepant. Quoniam quaedam adsunt signa, quibus vel pericardii, vel cordis, vel majorum vasorum inflammatio conjicitur, hinc expositis prius generalibus carditidis symptomatibus, ad particularia deveniamus.

§ 371. Generalia symptomata sunt dolor modo acutus, punegens, pertinax, modo gravans aut sub sterno, aut ad sinistrum pectoris latus; immanis internus ardor, maxime sinistri lateris; magna inquietudo; anxietas; dyspnoea; concitatus et irregularis cordis motus; tussis continua, ut plurimum sicca; lipothymiae; febris saepe ardentissima rigore incipiens, aliquando remittens, quae dolorem nunc praecedit, nunc sequitur; pulsus frequens, irregularis, durus, intermittens, in utroque carpo vix similis; urina pauca, flammea, non raro puriforme sedimentum deponens; facies modo rubra, inflata, modo pallens, tristis; genae lividae; oculi

splendentes, truces, eorum acies imminuta; lingua rubra, nigra, arida; sitis inexplebilis, et aquam frigidam hauriendi desiderium; raucedo; anginosi affectus; respiratio oppressa; palpitatio cordis, vibratio carotidum, oscillatio jugularium, epigastrii pulsatio; halitus saepe calidus; vomitus aut potionis, aut porraceae bilis; hypochondriorum tensio; meteorismus; singultus; aliquando rumor in pectore, ut Testa, et Corvisart observarunt. Ex hisce signis alia essentialia, alia fortuita sunt. Spectant ad prima dolor sub sterno, aut ad sinistrum latus; febris acutissima; palpitationes cordis; angustia; anxietas; dyspnoea; tussis; lipothymiae; pulsus inaequales: ad secunda vomitus convulsivus; epigastrii pulsatio; meteorismus; singultus; anginosi affectus rumor in thorace. Ingravescente morbo, debilitas, anxietas, ad animi deliquia propensio augentur; mitescit, aut obscuratur dolor; oedema faciei, extremitatum, aut totius corporis supervenit; obnubilantur oculi; interdum accedunt delirium

ferox, vertigo, aurium susurrus, pulsuum maxima debilitas, et irregularitas, extremitatum livor, et frigidus sudor, ac tandem mors.

§. 372. Siquidem carditis modo acuta est, modo chronica; hujus symptomata illis acutae similia sunt, sed leviora. Tamen inter haec adnumerantur interdum bulimus; sudores colliquativi, etiam mane erumpentes; tristitia; alvi fluxus mucosus, foetidus; hydrops; oedema; ardor oesophagi, ut observavit Testa; genarum livor; oculorum prominentia; gangraenosae maculae per corpus diffusae; mors ut plurimum repentina.

§. 373. Inter symptomata, quae suspicionem pericardii inflammationis injiciunt, est dolor sub sterno versus sinistram partem. Dolor enim si sub sterno immediate obveniat, et ad vertebras respondeat, mediastini inflammationem denotat. Sic recensentur rubor sinistrae genae, anxietas, jactatio, facies a statu naturali deflectens, pulsuum irregularitas. Quaedam vero sunt caussae, ut impeti-

ginum, et exanthematum retropulsio, ictus cordis regioni illatus, quae hanc suspicionem augent. Inflammatio autem substantiae muscularis cordis conjicitur, si adsint dolor profundus, et in ejus regione fixus; inflammatoria febris; animi deliquia; anxietas; jactatio; irregularis motus affectae partis; sputa cruenta; pulsus irregularis; oedema faciei. Major fit conjecturae probabilitas, si a quibusdam caussis nascatur morbus, ut a nisu in gestandis, elevandisque ponderibus; a profundis pectoris vulneribus; a pericardii inflammatione praegressa. Interdum inflammatio cordis cavitates invadit, quam suspicabimur, si urgeant carditidis symptomata; aeger antrorsum flexo corpore decumbat; summa angustia, jactatio, respirandi difficultas, lipothymiae, suffocationis periculum praesto sint. Hunc morbum carditidem polyposam vocavit Kreyssig; siquidem in cadaveribus pseudo-membranae, aut monstruosi polypi inventi sunt. Dum pericardium, et cor inflammantur, ut plurimum majora vasa eumdem morbum participant. Sed

interdum aorta, et vena cava seorsim inflammatione afficiuntur. Hujus morbi diagnosis abstrusissima est. Tamen inflammationem aortae conjicimus, si summa spirandi difficultas, pectoris angustia, tussis continua, sicca, dolores dorsi pulsatiles cum rosionis sensu molestent; illam venae cavae, si immites dolores dorsi, saepe in dextro latere, internus ardor, sitis inexplebilis excrucient; et observentur maxima pulsuum frequentia, epigastrii pulsatio, animi stupor, aut dementia, extremarum partium frigus; et internae gangraenae foenomena. Inflammationem venae cavae primus Aretaeus descripsit, quam deinde alii pauci observarunt. Nobis datum non est signa inflammationis arteriarum coronariarum cordis innuere: hanc solum arguere fas est, dum vehementiora carditidis symptomata premunt.

§. 374. Arduum esse carditidis praesentiam noscere, ultro fatemur. Unum enim, alterumve deficit essentiale signum; symptomata illis peripneumoniae sinistri

lateris, et cynanches faucium similia sunt; carditis cum peripneumonia, diaphraginitide, aliisque morbis complicatur. Necesse igitur est, horum morborum differentiam prae oculis habere. In peripneumonia tussis est continua, plerumque humida, ac sputa sunt prius flava, sanguinea, mox crassa, puriformia, quae aegrum sublevant; respiratio difficilis; inspiratio dolorosa; anxietas, crescente morbo, augetur; cordis vibratio supervenit; adest nausea, vomendi cupiditas, et vomitus, qui persaepe promovetur a tussi: sed in carditide tussis saepe deest, aut plerumque sicca; respiratio oppressa; inspiratio cum levamine absolvitur; ab initio premit anxietas, et vibratio cordis; vomitus sine tussi excitatur. Confundi potest carditis cum cynanche faucium ob difficultatem deglutionis, quae interdum illam comitatur. Ne igitur haec oriatur confusio, oportet fauces inspicere, quae in carditide non inflammantur.

§. 375. Saepe cadaverum sectione pericardii, substantiae cordis, et majorum

vasorum inflammationis vestigia reperta sunt. Observatum fuit, pericardium cum corde, pleura, et pulmonibus cohaerere; in ejus externa et interna superficie vasa sanguine turgida, et copiosam cumulari lympham coagulabilem; in ejus cavo liquoris defectum, aut colluviem serosam, vel sanguineam; totum saccum indolem cartilagineam, aut osseam sistere; aut in eo adesse tumores suppuratos, vel ulcera; cor aut praeternaturaliter magnum, strato gelatinoso obductum, maculis albis, et ulcerosis tuberculis consitum, ac filamentis, pilis similibus, hispidum redditum; aut parvum; ejus substantiam valde rubram, vel nigram, flaccidam, exesam, induratam, suppuratam, gangraenosam; in cavitatibus pseudo-membranas, et polypos; circa auriculas, majorumque vasorum originem lympham coagulabilem; orificia horum vasorum modo angusta, modo dilatata; valvulas, et trabes rubras, tuberculis obsitas, induratas, cum parietibus cordis concretas, tendineas, osseas; vasa coronaria turgida, et ossea; etiam

majora vasa ossea, et concretionibus polyposis referta; in reliquis visceribus, ut in cerebro, pulmonibus, diaphragmate, ventriculo, intestinis, hepate, non dubia inflammationis indicia.

§. 375. Acutae carditidi obnoxii sunt homines athletici, laboriosi, continuo pondera elevantes, portantesque, morbis exanthematicis affecti, gravidae, puerperae: chronicae qui malam pectoris conformationem habent, et qui assiduos sanguinis fluxus, varices, aneurysmata, pervicaces catarrhos, vitium arthriticum, scorbuticum, venereum, diuturna exanthemata patiuntur. Plures autem sunt carditidis excitantes caussae, ut violentiae externae; nisus in extollendis, sustinendisque ponderibus; exercitationes gymnasticae; labores, qui antrorsum flexo corpore fiunt; animi pathemata; abusus veneris; frigidus haustus, aestuante corpore; nimius liquorum fermentatorum potus; regressio exanthematum; exiccatio fonticulorum; contagia pestis, syphilidis, etc.

§. 376. Ex hisce multiplicibus caussis perspicuum est, variam esse carditidis indolem, nimirum traumaticam, inflammatoriam, rheumaticam, arthriticam, syphiliticam, scorbuticam, metastaticam, et forsan gastricam, si ut caeterae inflammationes, a gastricis affectibus proficiscatur. Non desunt qui carditidem interdum epidemicam esse contendunt, inter quos Trecourt, et Huber numerantur. Possibile est, quod annua constitutio caussam contineat, cur inflammetur cor, ut ex eadem caussa aliquando reliqua viscera inflammatione prehenduntur. Praeterea an carditis febres intermittentes perniciosas comitetur, cum Josepho Franch suspicamur, qui Prax. med. vol. 8. p. 166. inquit = Inquirendum quoque foret, num pericarditis interdum non occultetur, sub forma febrium intermittentium perniciosarum; quas synoopticas vocant. =

§. 377. Carditis est periculosissimus morbus, qui raro solvitur. Ubi vehemens est, et acuta, in suppurationem, et gangraenam transgreditur; ubi diutina,

chronicis morbis discrimine plenis originem dat, ut cohaesioni pericardii cum corde, hydrocardiae; pseudo-membranis; polypis; osteogenesi; cordis enormitati, et parvitati; dilatationi, et angustiae cavitatum; ulceribus. Si carditis in homine alioquin sano, bonaque pectoris conformatione instructo contingat, levis sit, et belle curetur, ejus resolutio est expectanda. Haec etiam per bonam crisim, praecipue per haemorrhagiam narium, ani, et uteri; per universos et profusos sudores, ut observavit Trecourt, obtinetur. Si cor cum pericardio cohaereat, morbus aegri strangulatione terminatur. Adsunt enim in hoc casu oppressio pectoris; interni angores; anhelitus; palpitatio cordis; spirandi difficultas, decubitu in dorsum aucta; vultus mutatio; pulsus inaequales, intermittentes, parvi: aeger tandem exanimis redditus è vita discedit. Si carditidi succedat gangraena, hydrops acutus, formatio pseudo-membranarum vasorum orificia claudentium, mors praeceps contingit. Gangrena noscitur a

generalibus signis: hydrops acutus a paucis urinis; pectoris oppressione, corporis motu aucta, et sensu ponderis; irregulari cordis motu; pulsu intermittente, celere, parvo; facie oedematosa; extremitatum frigore; et propensione ad somnum: pseudo-membranae cavitatum cordis a lipothymiis; summa angustia; extremitatibus frigidis; facie hippocratica arguuntur. Si ulceribus exedatur cor, quod in ejus lenta inflammatione usuvenit, per integros annos interdum vita trahitur. Sub hac exulceratione aegri rodentis doloris sensum, et continuos angores patiuntur; superveniunt lipothymiae, cordis palpitatio, pulsus irregularis, intermittens, spirandi difficultas, corpus consumitur, et oedematosum evadit.

§ 378. Pro curatione carditidis sanguinis missiones quo promptiores, eo erunt utiliores. Primum ex utriusque brachii, praecipue sinistri venis pluries sanguis mittendus est; deinde aut prope cor; aut haemorrhoidalibus venis hirudines, ac supra sternum cucurbitulae scarificatae ap-

plicari poterunt. Praeterea laxantia lenia, clysteres emollientes, potiones tepidae cum nitro, et universum regimen antiphlogisticum convenit. Ad refraenandam autem actionem cordis utilis est digitalis purpureae infusio, quae eo magis erit opportuna, si seri effusionis signa in pericardio compareant. Hoc in casu addi potest scilla, et aliquot calomelani grana. Si hac ratione inflammatio non cedat, vesicantia regioni cordis, sterno, brachiis, extremitatibus inferioribus sunt admovenda, praecipue si morbi indoles rheumatica, arthritica, aut metastatica sit. Si urinae secretionem promovere interest, jure decoctio stipitum solani dulcamarae laudatur. Victus sit tenuissimus. Dum vires deficere incipiunt, pauca grana camphorae dentur. Observandum est, an per aliquam crisin resolutio expectari possit, ut sedula ars naturae arrideat.

Diaphragmitis.

§. 379. Inflammatio diaphragmatis ob delirium, risum sardonicum, et alia symptomata phrenitidis propria a veteribus paraphrenitis nuncupata, aptius a recentioribus diaphragmitis vocatur. Hujusmodi enim symptomata interdum non prodeunt, sive musculosa, sive tendinea pars latissimi septi afficiatur: licet probabile est, delirium, et vultus spasmodicam distortionem, risui sardonico similem, non deficere, cum inflammatio prope nervos phrenicos sedem habeat. Haec aegritudo rarissime primaria est; nam plerumque ab inflammatione pleurae, pulmonum, hepatis, lienis, ventriculi ad diaphragma extensa producitur. Tamen primaria, et solitaria esse potest, cum caussae in hoc organon musculoso-tendineum agunt, ut cum materies rheumatica hoc aggrediatur.

§. 380. Diaphragmitidis signa sunt acutissimus, et profundus dolor aut sub sterno, aut ad costas, aut ad lumbos, inspiratione, motu corporis, loquendi conatu, sternutatione, tussi, epigastricae regionis compressione auctus; febris acuta, vehemens; calor ardentissimus; lingua arida; sitis ingens; respiratio brevis, celer, spasmis intercepta, et solo fere pectore peracta; pulsus creberrimi, duri, irregulares, spastici; facies rubra; oculi rubentes, scintillantes; singultus; anxietas; inquietudo; deglutitio impedita, quia oesophagus a diaphragmatis lacertis constringitur; dysphagia; potuum aversatio; modo delirium ferox, modo desipientia levis; risus sardonicus; convulsiones; palpitationes cordis; hypochondria tensa, retracta, et ita patibilia, ut nullum tactum tolerent; vomitus aut irritus, aut porraceus. Invalescente morbo, frons frigido sudore manat; subsiliunt tendines; membra convelluntur, et frigent; livescunt ungues; soporosus fit aeger, qui paucos post dies inter spasmos, ani-

mi deliquia, et alia gangraenae symptomata decedit.

§. 381. Caussae diaphragmitidis excitantes aut externae, aut internae sunt, ut vulnera, ictus, et lapsus in caput, per consensum agentes; inflammationes pleurae, pulmonum, ventriculi, hepatis, lienis; ingurgitati haustus aquae gelidae, aestuante corpore; nimius liquorum fermentatorum potus; naturales sanguineae evacuationes suppressae; perspiratio imminuta, et cohibita; praepostera cutaneorum morborum fuga; rheumatismi, vel arthritidis repercussio. Interdum caussae leves eumdem morbum pariunt, ut immodicus risus, fletus, ventriculi flatus; nam earum actioni septi motus continui favent. Etiam gastricae affectiones, et verminosae aliquando diaphragmitidi ansam praebent. Ex quibus patet, hano modo primariam, modo symptomaticam, modo secundariam esse; variamque indolem, scilicet traumaticam, inflammatoriam, rheumaticam, arthriticam, metastaticam, gastricam, habere.

§. 382. Quaevis diaphragmitis periculosissima est. Raro solvitur, et persaepe in gangraenam transilit. Resolutionem promittunt levamen a recta curationis methodo, et salutares crises; quae aut per haemorrhagiam narium, vel venarum haemorrhoidalium, aut per universum sudorem, aut per urinam post quartam diem sedimentosam fiunt. Timorem vero injiciunt vehementissima febris; calor internus acutus; anxietas; inquietudo; vigiliae; singultus; vomitus convulsivus; doloris cessatio absque ullo resolutionis indicio; membrorum convulsiones, et algor; sudores frigidi partiales; animi deliquia; aliaque gangraenae symptomata.

§. 383. Curatio in antiphlogistico regimine tota consistit. Abundanter ideo mittatur sanguis è majoribus vasis; fotus emollientes fiant loco doloris, et alia antiphlogistica auxilia adhibeantur. Deinde, si necessitas urgeat, applicentur hirudines aut doloris sedi, aut haemorrhoidibus, aut partibus pudendis, praecipue si

ab evacuationibus haemorrohidalibus, vel menstruis suppressis morbus pendeat; aut hujusmodi suppressio eum comitetur. Si morbus non recedat, vesicantia loco doloris, aut hypochondriis, aut extremitatibus superioribus, et inferioribus apponantur. Si magis ingravescat morbus, instetque gangraena, interna, et externa remedia, quae progressui morbi opponuntur, linquenda non sunt.

ORDO QUARTUS

GENUS PRIMUM

Peritonitis.

§. 384. Peritonaei inflammatio vocatur peritonitis. Peritonaeum, ut reliquae membranae corporis cavitates circumeuntes, interdum inflammatione afficitur. Variis autem locis inflammari potest, ubi scilicet abdominalium musculorum fornicem respicit; in suis productionibus; et ubi viscera abdominalia contegit. Praecipue loquemur de inflammatione peritonaei musculos abdominales respicientis, a caussis externis ut plurimum excitata. Hujusmodi valetudo in utroque sexu, quavis aetate, et anni tempore occurrit, propriisque cognoscitur signis. Haec sunt abdominalium parietum tensio, major in parte affecta; dolor vehemens, fixus, pungens, praecipue in morbi sede, corporis motu, tactu, inspiratio-

ne, tussi asperior; febris acuta; ac reliqua generalia inflammationis indicia. Si solum externa peritonaei lamina inflammetur, nunquam febris est violenta, nec alterantur functiones viscerum, quae extra, aut intra saccum locantur. Sed persaepe producitur morbus, et carnes musculorum pervadit, unde graviora symptomata fiunt. Si inflammatio in interna peritonaei lamina sedeat, aut ad eam extendatur, copiose serosi humores separantur, qui in abdominis cavitate collecti, hydropem ascitem acutum constituunt. Si autem peritonaeum non solum in utrisque laminis, sed etiam in suis productionibus, et ubi obducit viscera inflammatione corripiatur, hanc ipsa viscera participant. Tum quam gravia esse debeant symptomata, quisque videt.

§. 385. Cum in puerperis peritonitis obveniat, puerperalis dicitur, quae frequenter illam febrem puerperalem nuncupatam comitatur. Hinc alii hujusce febris caussam in peritonitide inveniunt; alii hanc febrem ad peritonitidem

referunt. Sed cadaverum sectiones ostendunt, non semper in puerperali febri peritonaeum inflammari, sed potius alia viscera interdum incendi, ut uterum, tubas, ovaria, intestina; interdum nulla adinveniri inflammationis indicia. Quocirca febrem puerperalem, quae continua remittens est, ut primariam, ab inflammatione non productam, sed huic saepe conjunctam habuimus. Dum in puerperis peritonitis evolvitur, febris vehemens tertio, aut sexto post partum die cum horrore, et rigore invadit; per tensum, et tumidum abdomen excitantur dolores. Si inflammatio ad omentum propagetur, praeter dolores, vomitus, et continuus ad vomendum impulsus accedit; si ad mesenterium, profundi torquent abdominis cruciatus, infarciuntur glandulae, et intestina inflammationem participant, et ut plurimum adstringitur alvus. Praeterea in puerperarum peritonitide adsunt calor summus, sitis ingens, lingua arida, cephalalgia, lochiorum suppressio, aut illorum vice foetidissimi laticis profluvium, lactis secretio

intercepta, urina modo pauca, modo abundans, modo turbida, aut lochiis mixta, cutis interdum arida, interdum sudore perfusa, pulsus initio saepe contractus frequens, subinde plenus, mutabilis. Saepe prodeunt signa gastrica, ut lingua sordida, sapor oris amarus, pravus halitus, foetidi ructus, vomitus, aut vomendi conatus, praecordiorum tensio, sensus ponderis, alvi fluxus cum torminibus, et interno calore. Ingravescente morbo, superveniunt nervosa symptomata, et exanthemata efflorescunt, maxime miliaria, et peticulae. Saepe vires tam prosternuntur, ut aegra erigi nequeat, ac si id tentet, tremore, vertigine, et animi deliquio corripiatur. Accedunt delirium, aut sopor, singultus, convulsiones, meteorismus, vomitus irritus, aut foetidae materiei, facies hippocratica, dejectiones involuntariae, humor cruentus, male olens, acerrimus ex utero, verendisque partibus inflammatis profluens, extremorum frigus, partium omnium resolutio, et tandem mors.

§. 386. Peritonitidis caussae plerumque externae sunt, aut extrinsecus veniunt, ut concussiones, compressiones, musculorum abdominalium distensio, nisus vehemens et protractus, contusiones, vulnera, lapsus in ventrem, actio frigoris in nudum abdomen. Quandoque peritonaeum ob depositionem materiei acris, irritantis, morbosae, aut ob propagationem abdominalium viscerum phlogoseos inflammatur. Hisce generalibus caussis, aliae in gravidis, parturientibus, et puerperis adjunguntur. In gravidis enim uteri expansio efficit, ut etiam peritonaei portio expandatur uterum obducens; in parturientibus celerrima saepe uteri contractio non huic soli, sed etiam peritonaeo noxia est; in puerperis ob nimiam sensibilitatem etiam a calidis jusculis suscitatur agitatio. Insuper victus vitia, animi pathemata, in quae saepe flectuntur gravidae, partus acceleratus, difficilis, rudis uteri tractatio, violenta placentae extractio, gastricae sordes, repressa lochiorum, et lactis secretio, repentina genitalium re-

frigeratio non raro peritonidem efficiunt. Frequenter hic morbus in puerperis excitatur, quae in nosocomiis corruptum aërem respirant; et sub quibusdam anni constitutionibus, quae determinari nequeunt. Ex quibus patet, puerperalis peritonitidis caussas a reliquis differre.

§ 387. Peritonitis levior, simplex, ad interna viscera non extensa minus, quam gravior, et complicata periculi infert. Si non resolvatur, aut in cohaerentiam peritonaei cum intestinis, et omento; aut in colluviem serosam in abdominis cavitate; aut in suppurationem; aut in scirrhum; aut in gangraenam abit. In suppuratione saepe efformantur fistulae inter abdominales musculos serpentes; aut abscessus rumpuntur, et ab effusione puris in abdominis cavum purulentus hydrops constituitur, ex quo viscera corrumpuntur, et lenta febris, et mors producitur. Scirrhus molesta compressione viscerum functiones laedit, et ad lentam febrem, obitumque conducit. Gangraena lethalis est. Peritonitis puerperarum prae-

ceps quidem est; nam inflammatio ad uterum, intestina, aliaque viscera profertur. Adde hujus frequentem complicationem cum affectionibus gastricis, biliosis, verminosis; cum exanthematibus, maxime miliaribus, et peticulis, quae vero etiam symptomaticae sunt. Ut aliquid certi de morbi exitu praesentiamus, aegrae conditiones, et symptomata sunt expendenda. Si enim mulier sit nimis sensilis, et debilis; symptomata graviora, ut summa virium prostratio; tensio, et inflatio abdominis dolentissima; intestinus calor; anxietas; facies tristis, turbata; respiratio laboriosa; suspiria; cutis vel arida, vel frigido sudore madida; maculae lividae; animi deliquia; singultus; pulsus debiles, inaequales; vomitus inanes, vel pravae materiei; dejectiones involuntariae; delirium; sopor; convulsiones; etc. evidens erit periculum; rursusque si mulier non tam sensilis, et debilis sit; symptomata non tam gravia, quae paullatim mitiora fiant; redeant suppressa lochia, et lactis secretio; pulsus eva-

dant molliores, pacatiores; respiratio libera, absque pectoris angustia, et doloribus; cutis moderate calida, sudore vaporoso, et aequali perfusa; accedat diarrhoea; biliosa; urina sedimentum crassum, purulentum vel lateritium deponens; somnus quietus, restaurans; spes salutis affulget.

§.338. Curatio peritonidis ab illa generali inflammationum non distat; tamen ob diversas ejus species aliquantum variandа est. In simplici peritonitide praeter sollicitudinem in removendis caussis, sanguinis missiones conveniunt; quibus pulsus parvus, qui saepe observatur, non opponitur; nam detracto sanguine, prompte explicatur. Praeterea applicatio hirudinum abdomini, fotus emollientes, qui pondere molestiam non afferant, unctiones oleosae, clysteres emollientes, potiones antiphlogisticae auxiliantur. Subacta vero inflammatione, vesicantia loco doloris, aut femoribus applicita conferunt. Peritonitis puerperalis raro ut simplex validum antiphlogisticum regimen postulat; nam minus pura est inflammatio. Inquit

Petrus Franchius §. 221. = in hac certe rarum erit, inflammationem, ex qualicunque demum caussa generatam, tam simplicem diutius existere, ut, quocumque in morbi stadio, qua vera peritonitis, solet, antiphlogistica methodo valeat audacter impugnari. = Interdum dantur casus, ubi sanguinis missio minime expedit. Si lochia abunde fluxerint, et fluant, ut plurimum vena secanda non est, sed potius huic secretioni fomentationibus, et semicupiis favere opus est. Si adsint gastrica symptomata, plusquam sanguinis missio, sive blandum emeticum, sive purgans prodest, prout gastrica cacochylia vel ad superiora, vel ad inferiora turgeat.

§. 282. Si mulier sit debilis, sensibilis, pathematibus fracta; in frequens animi deliquium decidat; pulsus sint exiles, contracti; urinae crudae, et aqueae; convulsiones, et spasmi corripiant; nunquam methodus antiphlogistica convenit. Contra si lochia non fluant, hirudines partibus verendis sunt admovendae: si absint gastrica signa, puerpera robusta,

et plethorica sit, inflammationis symptomata urgeant, vena secanda est, et antiphlogisticum regimen adhibendum. Complicationes vero in hujus morbi curatione maximam difficultatem adducunt. Si exanthemata complicentur, efficere debemus, ut haec maneant super cutem; hinc vesicantia utilia sunt. Si in primis viis acida materies subsit, absorbentia conferunt. Cura igitur nos teneat, ut resolvatur peritonitis, ne reppuratio, acutus hydrops, scirrhus, gangraena sequatur, utpote morbi periculosissimi.

GENUS SECUNDUM

Gastritis.

§. 389. Inflammatio ventriculi gastritis vocatur. Haec cognoscitur a dolore fixo, pungenti, lancinante in regione epigastrica, quae valde calet, distenditurque; augmento doloris, si alimenta, aut medicamenta ingerantur; vomendi cupiditate, aut vomitu initio vehementissimo, et irrito, deinde bilem acerrimam ejiciente;

subita, et dolorosissima ingestorum sive solidorum, sive fluidorum ejectione; violenta febre rigoribus orsa; singultu; praecordiorum anxietate. Insuper plerumque pulsus duri sunt, et contracti, interdum parvi, inaequales, intermittentes; respiratio oppressa, frequens, intercepta spasmis; os siccum; sitis ardentissima; genae rubrae; fuscae; interni ardoris molestissimus sensus. Alia subinde superveniunt symptomata, ut animi deliquia, sopor, delirium, convulsiones, acies oculorum imminuta, icterus, lingua sordida, pravus halitus, maculae lividae per corporis superficiem comparentes. In gastritide, quae a nosologis erythematica dicitur, levior est febris, calor, dolor, et erysipelatosus rubor in faucibus deprehenditur.

§. 390. Plures sunt morbi, qui gastritidis speciem simulant, ut diaphragmitis, hepatitis, enteritis, rheumatismus musculorum abdominalium, affectiones spasmodicae cardialgiae conjunctae. A gastritide vero differt diaphragmitis ob dolo-

rem è regione ventriculi instar cinguli ventrem supra lumbos ambientem, dyspnoeam, delirium, musculorum faciei convulsiones; hepatitis ob dolorem ad claviculam, et dextrum humerum; enteritis ob dolorem abdominis pungentem, tendentem, circa umbilicum torquentem; rheumatismus musculorum abdominalium, quamvis circa epigastricam regionem, et praecordia sedens, ob dolorem in externis partibus, functiones ventriculi non tam laesas, absentiam vomitus ingestorum; affectiones spasmodicae cardialgiae junctae ob defectum febris, dolores cardialgicos per circuitus redeuntes, et utilitatem remediorum, quae in spasmos valent.

§. 391. Plurimae esse possunt gastritidis caussae, inter quas inflammationes vicinorum locorum numerantur. In cadaveribus enim hepatitide, aut diaphragmitide defunctorum saepe ventriculus inflammationis, et gangraenae offert indicia. Alimenta nimis acria, et aromatibus condita stomachum interdum irritant, et in-

Digitized by Google

flammant, licet saepe sine ingenti damno viscus acriora ferat; id etiam efficiunt medicamenta irritantia, praecipue drastica purgantia, et emetica; venena inflammantia, et erodentia; humores acres in corpore secreti, ut bilis fervidissima; contagia, ut illud febris pestilentis; aliqua morbosa materies in ventriculum transvecta, ut rheumatica, podagrica; quaedam animi pathemata, praesertim ira. Caussae omnium frequentissimae sunt gelidae potiones, aestuante corpore; repentinae caloris frigorisque vicissitudines. Externae etiam violentiae in caussa saepe sunt, ut ictus, contusiones, nimia ventriculi coarctatio.

§. 392. Plurimum metuenda est gastritis, utpote quae raro quartam diem praetergreditur, et saepissime gangraena terminatur. Non solum autem in periculum adducit, quia ventriculi functio laeditur, sed etiam quia per hoc viscus numerosissimi nervi distribuuntur, et octavum par superiori ejus orificio contiguum ad singula abdominis viscera mittit ra-

mos, unde in ventriculo, abdominalibus visceribus, et toto corpore saepe excitantur spasmi; vitae vires languescunt; parvi fiunt pulsus; manat tenuis sudor; extremitates frigescunt; facies fit hippocratica; superveniunt deliquia. Frequentius gastritis, ut in inflammatis partibus membranosis usuvenit, aut resolvitur, aut in gangraenam transilit. Rarior est suppuratio, rarissimus scirrhus. Hujusce etiam aegritudinis proprium est, quod propter horrendas convulsiones subito interdum vitam eripit. Venena, acerrimae et erodentes substantiae dum ventriculum lacessunt, et inflammant, hujusmodi crudelissimas convulsiones arcessunt.

§. 393. Resolutio gastritidis speranda est, si dolor, et reliqua symptomata gradatim mitescant; pulsus explicentur, et molliores evadant; ingesta non evomantur; urina copiosa sedimentum demittat; aperiatur alvus; sudor profusus, calidus ab universa corporis superficie effluat. Si vero suppuratio sequatur, inflammationis symptomata per hebdomadam pergunt,

sed mitiora fiunt; accedunt rigores, dolor pulsatilis, sensus ponderis, anxietas, nausea, vomitus. Ubi abscessus in ventriculi cavo rumpatur, evomitur pus, et cum pure sanguis, vel per alvum materies purulenta dejicitur; ubi in abdominis cavo, ascites purulentus producitur, et hinc tabes, et hectica febris. Aliquando generantur ulcera ventriculi tunicas depascentia, ejusque vasa exedentia, unde lethalis sequitur haemorrhagia. Aliquando ulcera extrorsum aperiuntur, et fistulam formant, per quam in reliquo vitae cursu pars ingestorum exit, ut observata confirmant. Ubi ulcera ventriculum, vicinasque partes arrodunt, implacabiles exurgunt dolores, ejicitur saniosus et cruentus humor; halitus oris graviter olet, aeger erectus manere nequit, sed pronus jacet, macies absumit corpus. Si inflammationi succedat scirrhus, indicatur a doloribus suscitatis ab ingestis, nec leniendis, nisi vomitu; affecti visceris inflatione, et tensione; alvo adstricta; laboriosa vomituritione; facie pallida; singultu;

magna corporis lassitudine. Scirrhus quamdiu benignus multum mali infert; nam pondere, et mole partes sensibilissimas distrahit; dum malignus, et in cancrum vergens, atrocia movet doloris tormenta. Historiae non desunt; quae ventriculi scirrhum in cancerosum ulcus conversum narrant. Si stomachus lenta inflammatione afficiatur, quae lento gradu incipit, difficile initio cognoscitur, et vim medicamentorum eludit; ut plurimum durities circa cardiam, aut pylorum, aut in alia visceris parte generatur, quam plurima, et gravia foenomena denotant, ut inflatio, et tensio ventriculi; angores post ingesta alimenta; ructus acidi, foetidi; vomitus materiei aquosae, acidae, corruptae, ex quo levamen sequitur; alvus pertinaciter clausa. Haec symptomata interdum cessant, aut mitiora fiunt; deinde recurrunt, et in dies asperiora. Materies quae ejicitur tam acris est, ut gulam rodat; advenit cibi fastidium, quamvis torqueat esuries; franguntur vires; macescit corpus; facies lurida, et extenuata fit;

erumpunt frigidi sudores; defluunt capilli; curvantur ungues; inflantur membra; postremo mors. Hujusmodi exitialis morbus in vini potatoribus praesertim obvenit. Si gastritis in gangraenam transeat, subito quiescit dolor, et extinguitur calor; pulsus fiunt parvi, creberrimi; fatiscunt vires; filaccida evadit epigastrica regio; sudores frigidi manant; extrema frigescunt; accedunt delirium, lipothymiae, et aeger expirat.

§. 394. Curatio antiphlogistica prompta sit, et efficax. Instituantur sanguinis missiones, quae viribus, temperamento aegrotantis, morbique vehementiae congruant. Si persistant inflammationis foenomena, hirudines regioni epigastricae, aut vasis haemorrhoidalibus applicentur. Etiam cucurbitulae cruentae, et vesicantia super affectam partem admoveri solent. Insuper conveniunt abdominis fotus, pediluvia, balnea tepida, clysteres emollientes, potiones diluentes, antiphlogisticae, nutrientes, sed parca dosi, secus non tolerantur. Idoneum igitur erit serum lactis recens, decoctum panis, jusculum ex carne

pulli. Si non omnia evomantur, ab auctoribus, maxime Hoffmanno, oleosa, et demulcentia laudantur. Siquidem ob doloris acerbitatem, et vomitum diluentia, emollientia, attenuantia sufficienti dosi dare non possumus, clysteres, fomenta, balnea omittenda non sunt. Clysteres autem non solum ea introducunt, sed etiam alvinas evacuationes promovent, unde ventriculi vasa aliquantisper humoribus exonerantur, qui in illa intestinorum refluunt. Quam vero balnea pedum juvent, experimentis compertum habemus.

§. 395. Purgantia, et emetica in gastride non conveniunt. Cavendum est, ne in funestum errorem delabamur, vomitu decepti. Sydenhamius etsi diligentissimus observator hanc commisit culpam, ut candide fatetur, in curatione febris ardentis pestilentialis emeticum exhibens, in qua vomitus ab incipienti ventriculi inflammatione nascebatur. Ad id ex eo fuit ductus, quod febres epidemicae autumnales grassabantur, quae circa praecordia anxietate, nausea, et vomen-

di conatu consociatae observabantur. Animadvertendum etiam est, quod saepe symptomata summam virium infirmitatem indicant, quae vera non est, sed symptomatica, a nervorum affectione dependens, ideoque a sanguinis missione nos non debet abducere. Ut subripiatur ambiguitas, non solum morbi signa; sed etiam caussae antecedentes, temperamentum, habitudines sunt exquirendae. Si caussae irritantes in ventriculo haereant, porrigantur auxilia hisce caussis opposita; si in infantum stomacho acidum stabuletur, absorbentia; si deglutita fuerint venena, eorum antidotum; si resorpta contagia, diaphoretica. Si quamvis haec adhibeantur, evolvatur gastritis, exposita antiphlogistica methodus exposcitur. Pro gastritide erythematica ut plurimum blanda, et tepida diluentia sufficiunt.

§. 395. Si suppuratio contingat, parca dosi, et repetitis vicibus, dandae sunt decoctiones emollientes malvae, altheae, seminum lini, ut emolliatur, et cito disrumpatur abscessus. Hoc autem rupto,

si sum levamine ejiciatur, dejiciaturque pus, primum detergentia, dein consolidantia conferunt. Si formetur ulcus, curandum est, ut hoc consolidetur; hinc pauca sint ingesta, ut carnium juscula cum ovi recentis vitello, aut cum pane, et oryza cocta; lac asininum aut simplex aut mixtum aqua aere fixo imbuta; clysteres nutrientes, qui per plures dies sustineant vires; secus nimis distenderetur ventriculus, nec partes conjungendae glutinarentur. Scirrhus lenia medicamina postulat; alia ratione in indolem cancerosam degenerat. Etiam quoad victum, nil sit, quod eum exacerbet. Sufficiunt itaque carnium jura cum ovorum recentium vitellis, aut cum medulla panis, aut oryza cocta; vel liquida pulmenta parca dosi exhibenda. Pro recenti scirrho opem afferre possunt dissolventia mitia, ut sapo venetus; sed ab hoc abstinendum, si exasperentur dolores. Denique si sequatur gangraena, tota curatio in sustentandis vitae viribus versatur.

GENUS TERTIUM.

Enteritis.

§. 397. Intestinorum inflammatio enteritis dicitur. Hujus morbi signa sunt dolor acutus, urens, lancinans, continuus, aut per universum abdomen, aut in illa intestinorum parte, ubi morbus praecipue sedet; febris acuta cum interno urente calore, vehementi siti, et arida lingua; pulsus duri, contracti, interdum initio parvi, spastici, inaequales; venter inflatus, tensus, calidissimus, tactum non tolerans; vomitus angores exasperans; alvus plerumque adstricta; tenesmus; urina retenta, aut pauca, et flammea; summa virium dejectio. Haec quotidie increscunt, et alia superveniunt. Aegri ob internum aestum indumenta non ferunt, et exuere tentant abdomen, membra jactant, delirant, anxie spirant, floccos legunt, singultiunt; distorquetur vultus; vox fit rauca, exilis; imminuitur oculorum acies; facies fit hippocratica;

frigescunt extrema; et inter convulsiones aegri moriuntur.

§. 398. Intestina tenuia facilius, quam crassa inflammantur. Etenim acutissimus dolor saepe medium abdominis, sive regionem umbilicalem occupat, ubi intestina tenuia locantur. De hoc Swietenius §959. ita probabilem rationem exhibet = Forte etiam crassorum intestinorum talis est constitutio, ut minus facile afficiantur, quam tenuia, cum stercoraceae materiae jam subputridae, et acriori servandae inserviant. Praeterea omne acre ingestum, vel mora in ventriculo aut intestinis tale redditum, primo noxam inferet intestinis tenuibus, antequam ad crassa pervenire possit. = Tamen etiam crassa non tam raro inflammantur. Dolor enim interdum sub ventriculo transversim haeret, aut dextrorsum, aut sinistrorsum, aut posterius ad regionem lumbarem, prout modo coecum, modo colon, vel ascendens, vel descendens, modo rectum inflammatione afficitur. Enteritis erythema-

tica a dolore, et febre mitiori, diarrhoea, et vomitus defectu dignoscitur.

§. 399. Observandum est, dolores in enteritide ab assumptis augeri; nam cum haec ad loca affecta ferantur, majorem irritationem pariunt. Dolores autem quamvis fixi, et continui, per intervalla acerbius angere possunt; quod ab incluso aëre saepe producitur, qui rarescit, et intestina inter inflammatam partem et ventriculum distendit, donec per ructus liberetur. Interdum intercipitur aër, dum intestina in variis locis contrahuntur. Si vero hujusmodi spasmodicae contractiones resolvantur, aër per intestina oberrans murmurat, et borborygmos edit. Si iterum spasmi cavitatem intestinorum constringant, collectus aër dolores acerbat. Si acutissima sit inflammatio, acutissimus et nunquam remittens dolor excruciat, et prompte gangraena sequitur. Tum alvus est pertinaciter adstricta, et cujusvis materiei transitus impeditur. Hinc ileus, et volvulus induci potest. Ileus enim juxta Hippocratis, Galeni, aliorumque mentem

est intestinorum inflammatio, cujus caussa nec aër, nec faeces exeunt; tormina, saeviqué dolores torquent, et interdum, ingravescente morbo, advenit vomitus. Volvulus autem, quin varias definitiones exponamus, est juxta plerosque contractae intestini partis in aliam vicinam dilatatam partem ingressus, quem intestini introsusceptionem nominant. Quoniam in enteritide unius partis intestini contractio usuvenit, concipitur quare in hoc morbo volvulus nascatur. Quamvis vix assequi possumus quomodo introsusceptiones contingant, quia intestina mesenterio alligantur, nihilotamenminus observationes cadaverum has confirmant. Ruyschius, Willisius, Peyerus ad satis magnam longitudinem contractam intestini partem in proximam dilatatam partem ingredi observarunt. Non solum autem pars inferior intestini introsuscipitur, sed etiam superior, si contrahatur. In perfecto volvulo etiam mesenterium in partem ampliatam intrat, unde major angustia loci, et intestini evolutio difficilior redditur;

angunt acerbi dolores, qui, nisi explicentur intestina, non quiescunt. Dum evenit intestini introsusceptio, motus peristalticus omnino invertitur; hinc contenta in intestinis, et ipsae faeces rejiciuntur vomitu. Primo forsan intuitu non intelligitur, cur id eveniat, introsusceptione posita; sed quaevis difficultas diluitur, si consideretur, quod aut pars superior intestini in se inferiorem suscipit, et tum faecum transitus non impeditur; aut pars inferior superiorem, et tum hujusmodi transitus prohiberi videtur; tamen vomitio stercorosa locum habet, quia jam gangraena adest, aut proxima est.

§. 400. Ut enteritis a gastritide, hepatide, et colica distinguatur, ob oculos habenda sunt exposita signa. Differt enim a gastritide ob atrocissimum, et urentem dolorem per totum abdomen aequabilem, aut circa umbilicum haerentem; ab hepatitide ob absentiam illius doloris, qui ad clavicularem, et summum dextri humeri extenditur; a colica ob dolorem nunquam quiescentem, febrem, pulsusque

qualitatem. Interdum colicis doloribus inflammatio intestinorum supervenit, quae a quibusdam prodeuntibus signis dignoscitur, nimirum magna ventris distensione, ejusque tam acuto sensu, ut si tangatur, musculi faciei convellantur, et exoriatur distortio, quae risus sardonicus nuncupatur; pulsibus parvis, spaticis, irregularibus, interno aestu; spastica ischuria; etc.

§. 401. Praeter generales inflammationis caussas, enteritidi occasionem praebent quaedam alimenta, potus, condimenta, medicamenta, venena, corpora peregrina ingesta, bilis, succi intestinales, faeces corruptae, calculi biliares intestinis adhaerentes, clysteres irritantes, exicata ulcera, retropulsa exanthemata, materiae morbosae, quae in intestina deponuntur. Ad ea saepe rheumatismus, et podagra; vel ob praeposteram medelam, vel ob corporis languorem, pedes, artusque linquentes, feruntur, ibique dolorum tormenta, et inflammationem pariunt.

§. 402. Enteritis periculosissimus morbus raro resolutione absolvitur. Ad ejus vero exitum praesagiendum, intensitas morbi, natura caussarum, locum intestinorum affectum, et omnia symptomata respicienda sunt. Dum enim lenta inflammatio per intestina proserpit, consumptio sequitur; dum est vehementissima, in gangraenam facile transit. Si caussae sint leves, ut suppressa è naribus, aut haemorrhoidibus consueta haemorrhagia, non raro solvitur; contra si nimis sint irritantes, et acres, ut venena, spasmi, et gangraena adveniunt. Si rectum intestinum dumtaxat inflammatione laboret, haec expeditius, quam illa reliquorum intestinorum, et per immediatam quorumdam remediorum applicationem, et per blandam dysenteriam discutitur. Ex symptomatibus autem alia infausta sunt, ut atroces doloces; febris ardentissima; tensum abdomen, tactum non toleans, et a tactu musculorum faciei distortio; alvus adstricta; spastica isoburia; tenesmus; singultus; oculi truces; pulsus exiles, in-

regulares; subsultus tendinum; delirium; convulsiones: alia fausta, ut eorum ordinata cessatio; sudores universi, copiosi, calidi; sanguis è naribus, aut haemorrhoidibus fluens; urinae abundantes, turbatae; alvus aperta; pulsus plenus, mollisque.

§. 403. Quamcumque intestinorum partem inflammatio obsideat, aut resolutione, aut suppuratione, aut scirrho, aut gangraena terminari potest. Ubi morbus persistat, et post aliquot dies sine caussa vagus horror per totum corpus corripiat, et deinde reliqua suppurationis indicia compareant, de intestinorum abscessu non erit dubitandum. Si, hoc disrupto, in intestina effundatur pus, dysenteria purulenta producitur, modo magna, modo parva, modo diuturna, modo brevis, pro diversa abscessua natura, et magnitudine; hinc aliquando aegri evadunt a morbo. Si vero pus in abdominis cavum dispergatur, ascites purulentus fit, ex quo ventris inflatio, tormina, crurum et totius corporis debilitas, alvi antiosae

dejectiones, consumptio, febris lenta, et mors. Perraro accidit, quod intestinorum abscessus extrorsum aperiatur; siquidem hujusce foenomeni observationes rarissimae sunt. Si abscessus diu clausus remaneat, pus tenuius, acriusque mora factum, vasis absorbentibus haustum, immiscetur sanguini, et hinc cacochymia purulenta gignitur, quam tabes subsequitur. Interdum formantur ulcera per interiores intestinorum tunicas serpentia, quae eorum parietes perforant, ex quibus vermes, si adsint, exeunt, et sanies in caveam peritonaei effunditur; hinc assidui, ingentesque cruciatus, inflatio ventris, saniosus fluxus, lenta febris, et macies profiscuntur. Interdum ulcera non penetrantia, nec valde extensa, emissa per alvum sanie, consanescunt, dummodo in humoribus nulla subsit labes, viresque vigeant. Si non tam violenta enteritis diu perstet, signa resolutionis, aut suppurationis deficiant; quidam gravitatis, et distractionis sensus in parte affecta molestet, saltu, aut descensu de gra-

dibus, aut post assumptum cibum, praecipue copiosiorem, digestuque difficilem, sensibilior; vomitus per intervalla affligat; de praesentia scirrhi judicabimus. Quot vero mala ab hoc emanent, etsi non adhuc in cancrum degeneravit, nullo negotio intelligitur. Dum mole augetur, intestina coarctat, partesque propinquas comprimit; hinc ingestorum transitus, et absorptio chyli impeditur, unde atrophia, et mors. Quo magis prope pylorum scirrhus haeret, eo celerius haec mala contingunt. Dum in cancerosam malignitatem desinat, promptius adducit vitae finem. Gangraenae signa sunt subita, et sine ratione acerrimi doloris cessatio; extremorum frigus, et livor; pulsus debilis, intermittens; facies collapsa; sudores frigidi, glutinosi, ab universo corpore manantes; excrementa tenuia, ichorosa, nigra, involuntario dejecta; lingua sicca; oculi caliginosi; singultus; nervorum distensiones; vomitus aut biliosus, aut stercoreus cum anxietate, et frequenti deliquio; abdominis meteorismus. Gangraena

omnino lethalis est. In cadaveribus eorum, qui enteritide decesserunt, non solum quae de vario ejus exitu nos certiores faciunt, sed etiam intestinorum cohaerentiae, introsusceptiones, et magna quantitas lymphatici, gelatinosi, et lactei humoris intestina ipsa obducentis reperiuntur.

§. 404. Enteritidis curatio antiphlogistica sollicita sit, et valida. Primum igitur copiosae a majoribus vasis instituantur venae sectiones; deinde hirudines haemorrhoidibus applicentur. Adhibeantur laxantia, ut serum tamarindatum, cassia, manna, oleum amygdalarum dulcium, ricini, ac emollientissima clysmata ex decoctionibus malvae, hordei, seminum lini, ejusque oleo injiciantur, quae partibus inflammatis largiuntur fotus, impetum febris compescunt, acerbitatem doloris leniunt, partesque spasmo constrictas relaxant. Ob eamdem rationem universalia balnea, semicupia, emollientes abdominis fotus plurimum juvant. Veteres in calidum oleum aegros demittere

solebant, ut abdomini induceretur mollities, et spasmodicae constrictiones resolverentur. Etiam naturalis tepor vivorum animalium abdomini impositorum; omentum adhuc calidum de recens mactati animalis ventre avulsum, quod molle oleum, et penetrabile continet, summopere laudabatur. Utiles sunt potiones tepidae, diluentes, mucilaginosae, quae infarcta vasa laxant, humoresque immeabiles diluunt. Quoniam vero enteritidem spasmus comitatur, nil potentius, ut hic resolvatur, leniaturque, quam opium, et opiata, dummodo caute usurpentur; nempe adhibitis prius antiphlogisticis, relaxantibus, diluentibus, emollientibus auxiliis; secus inflammatio augetur. Prudens opiatorum usus a veteribus, et recentioribus praedicatur. Quanta utilitate laudanum liquidum Sydenhamius adhibuerit, omnibus notum est. Interdum alia vocanda sunt in usum, utpote naturae eatussarum opposita. Si enim enteritis a retropulso exanthemate nascatur, vesicantia, et sinaspismi, usu a suppressis hae-

morrhoidibus, menstruis, lochiis, hirudines ano, perinaeo, partibus verendis admotae; si ab acido humore, ut saepe in infantibus obvenit, absorbentia et mitigantia; si a materie putrescente, acida aqua diluta; si a veneno, antidota conveniunt. Ad quamcumque autem acrimoniam superandam decocta emollientia semper profiua sunt. Inquit Swietenius §. 964. = Caeterum aqua, oleum, emollientia decocta omnem acrimoniam enervant; adeoque semper prosunt, etiam in illis casibus, ubi de singulari acrimoniae indole dubium est, vel ubi erosae partes sola blandissima tantum ferre possunt = Interdum expositis remediis sine fructu adhibitis, de aegrotantium salute desperantes medici aquam frigidam, aut nive refrigeratam, aut frigidas affusiones fausto cum eventu tentarunt, quamvis prima facie nociturae videntur. Hujusmodi curationem, quae audax apparet, observata confirmant. Utilis quidem esse poluerit, cum ingens internus aestus, et interna irritatio perstiterit. De aliis reme-

diis, quae ad volvulum adhibentur, alibi loquemur. Pro victu jura carnium sufficiant.

§. 405. Cum enteritis in suppurationem abiverit, abscessus maturatio promovenda est. Siquidem magni interest, quod dum rumpitur abscessus in intestina effluat pus, ut per alvum exeat, injicere oportet emollientes clysteres, et potiones etiam emollientes porrigere, ut interna intestinorum superficies emolliatur, et relaxetur. Si abscessus disruptus sit, quod a doloris levamine, et exitus puris per alvum dignoscitur, ut pars detergatur, et ad consolidationem disponatur, curandum est. Idcirco exhibeantur infusa hyperici, virgae aureae, quibus mel admisceatur. Ad nutriendum optima sunt jura carnium, serum lactis depuratum, quod etiam ut medicamentum haberi debet, maxime utile ad corrigendum quidquid a collecto pure absorbetur, et mites reddendos humores, qui in intestina depluunt. Ut autem ulcus coeat, merito

aquae minerales ferrugineae laudantur, utpote leviter adstringentes. Denique cum sanitatis conditiones redeant, solidiora alimenta, ut panis, et juniorum animalium carnes ministrentur. In curatione scirrhi parum remediis fidendum est. Inquit Swietenius §. 974. = Si enim incipiens hic nasci scirrhus tepore blando corporis interni, saliva, succo pancreatico, bile utraque huc derivatis continuo, agitatione perpetua per motum diaphragmatis et musculorum abdominalium, resolvi non potuerit; quid sperandum erit a remediis. = Pro alimento dentur carnea jura cum ovorum vitellis, et lactis serum depuratum. Si scirrhus in cancrum degeneraverit, opiatorum usu mitigentur symptomata. Ut vero enervetur ichor in intestina depluens, conducunt mollissima clysmata cum anodynis, quae acrimoniam diluant, et dolores compescant. Pro gangraena aut nunquam, aut raro locum habet medela. In primis vitae vires cordialibus, et carneis jusculis sustententur. Curare autem debemus, ut,

si fieri potest, gangraenae progressus impediatur, et eschara gangraenosa separetur. Ad id peruviano cortice nil conducibilius est.

GENUS QUARTUM

Mesenteritis.

§. 406. Inflammatio mesenterii mesenteritis vocatur. Hujus morbi diagnosis, qui cum enteritide facile confunditur, obscura est. Raro mesenteritis primaria est, sed frequentius peritonitidis, et enteritidis pedissequa. Praecipua ejus signa sunt dolor abdominis profundus, qui a dorso incipit, et ad umbilicum producitur; tumor, et tensio; acuta febris; alvus pertinaciter clausa; et reliqua inflammationis symptomata.

§. 406. Mesenteritis, ut reliquae inflammationes, vel resolvitur, vel in abscessum, vel in scirrhum vel in gangraenam abit. Hi exitus a generalibus signis deprehenduntur. Animadvertendum vero

est, quod dum suppuratio sequitur, interdum sacci pure repleti efformantur, qui vel intestina comprimunt, vel in haec aperiuntur, unde lethalis purulenta diarrhoea proficiscitur; vel in abdomen diffundunt pus, unde purulentus hydrops, cito funestus constituitur. Quoad curationem, praecepta pluries exposita tenenda sunt.

GENUS QUINTUM

Epiploitis.

§. 408. Inflammatio omenti nominatur epiploitis. Hujus morbi signa obscura sunt, tam ob variam omenti extensionem, tam ob nexum, quo ventriculo, intestino colo, aliisque partibus alligatur. Tamen epiploitidem adesse affirmamus, si dolor externam abdominis partem, modo supra, modo infra umbilicum, occupet, quia omentum aliquando ex ventriculi fundo ad umbilicum, et ultra extenditur, aliquando epigastricam regio-

nem non excedit; si dolor tactu gravior fiat; si simul tumor adsit, et tensio; febris sit acuta; quibus, ob connexionem omenti cum ventriculo, et intestinis, interdum vomitus, aut alvus adstricta adjungitur.

§. 409. Epiploitis non tam propter visceris naturam, quam propter effectus, quos in proxima viscera inducit, alea plena est. Etenim omentum post abdominis vulnera absque magno sanitatis detrimento rescinditur; et in multis chronicis morbis, praecipue in hydrope, consumitur. Eosdem exitus habet, ac reliquae inflammationes. Quisque intelligit, quae gravia mala ab effuso pure, aut ichore gangraenoso in abdominis cavitatem consequuntur; aut quae a pressione, et partium vicinarum distractione producuntur, si in omento scirrhosi tumores nascantur. Curatio a generalibus regulis desumitur.

Pancreatitis.

§. 410. Inflammatio pancreatis vocatur pancreatitis. Ejus characteres incerti sunt. Si consideretur visceris situs, intelligitur, quare nunc gastritidis, nunc enteritidis imaginem exprimat. Inflammatorius pancreatis tumor ventriculum et duodenum comprimit, hinc incerta manant symptomata. Ex hoc vero aegrotantes detrimentum non accipiunt; nam curatio eadem semper est, ut animadvertit Swietenius. Ex laesa pancreatis functione nullum desumi potest morbi signum; nec ex impedito fluxu succi pancreatici in duodenum functionum laesiones immediate consequuntur. Igitur ex sola cadaverum inspectione certe pancreatitis cognoscitur.

§. 411. Dum inflammatur pancreas, aut in consuetos exitus transcendat, propinquae partes pessime afficiuntur. Aliquando viscus tam intumuit, ut extrinsecus

perciperetur tumor, qui alias, licet ingens, minime detegebatur. Scirrhosi, et admodum tumefacti pancreatis plura inveniuntur exempla. Curatio eadem est, ac in reliquis inflammationibus viscerum.

GENUS SEPTIMUM

Hepatitis

§. 412. Inflammatio hepatis dicitur hepatitis. Hepar non tam frequenter, ut caetera viscera, inflammatione corripitur; siquidem ejus arteriae exiguae sunt, habito respectu ad molem visceris, ac sanguis venosus venae portarum a cordis, et arteriarum viribus non impellitur, sed non tam raro, ut Hoffmannus asserit. Hepatitis in nostris regionibus minus frequens, in calidioribus familiaris est, ac quadantenus diversa. Saepius juvenes, et temperamenta sanguinea, ac biliosa aggreditur. In cadaveribus crebro inveniuntur in hepate vomicae purulentae, quae

ut plurimum praegressam inflammationem suadent.

§. 413. Hepatitis aut acuta, aut chronica est. Generalia acutae signa sunt febris vehemens, hypochondrii dextri ardor, tensio, dolor modo pungens, modo obtusus, et pressione auctus, modo ad claviculam et summum humeri dextri extensus; decubitus nunc in dextrum, nunc in sinistrum latus difficilis; dyspnoea; molesta tussis et sicca; anxietas; vomitus; singultus; alvus plerumque compressa; urina pauca, flammea, lutea; color subflavus albugineae oculorum, malarum, totiusque superficiei corporis; oris, linguae, et faucium siccitas; sitis; pulsus frequens, fortis, durus. Eadem signa propter diversum gradum, et sedem inflammationis non parum differunt. Si enim inflammatio convexam hepatis partem occupet, dolor est magis acutus, et ad jugulum ejusdem lateris protenditur, qui inter respirandum vehementior est; major est tensio; saepe deprehenditur tumor; molestat tussis, dyspnoea, singul-

tus; aeger decumbere nequit in dextrum latus; pulsus est durior, et celerior. Si vero ea partem concavam teneat, dolor est minus pungens; liberior respiratio; sed anxietas, nausea, vomitus, sitis ingens premunt; tenditur epigastrium; decubitus in sinistrum latus molestus. Si in parte proxima diaphragmati morbus sedeat, respiratio laboriosa; tussis sicca, frequens; dolor acutus nunc ad claviculam, nunc ad alias pectoris partes perceptus; singultus praesto sunt. Dum vehementer diaphragma laborat, ad levandum dolorem versus anteriora aeger flectitur, quem corporis situm solum tolerat. Si inflammatio cystidem felleam, et ductum choledochum praecipue invadat, certis signis deprehendi non potest. Quoniam ea a calculis hisce in locis haerentibus saepius ortum habet, ab ictero, et acuto dolore in regione epigastrica cognoscitur. Signa inflammationis convexae partis evidenter ostendunt, saepe etiam vicinas partes inflammari, ut ex natura ipsarum partium contingere debet. He-

par enim etiam recipit ramificationes arteriosas a diaphragmate, et ligamento suspensorio, quo huic adnectitur. Signa autem inflammationis concavae partis viscerum chylopoieticorum actionem perturbatam patefaciunt, quae ab impedito sanguinis transitu venae portarum alterari debet, unde potius anxietas, quam acutus dolor proficiscitur. Hepatitis denique quo magis vehemens, et acuta, eo magis numerosis, gravibusque symptomatibus stipatur.

§. 414. Hepatitis lenta, aut chronica febrem leviorem, et mitiora symptomata inducit. Interdum vero est occulta, signis non facile dignoscenda. Tamen a doloribus plus minusve pungentibus in hypochondrio dextro, pressione, aut decubitu in sinistrum latus auctis; sensus gravitatis in ipsa parte; leviori febre deducitur. Afficiuntur etiam viscera chylopoietica, unde digestionis vitia, sensus ponderis, et tensionis in regione epigastrica, flatus, nausea, os amarum, lingua sordida, sitis, alvi durities nascuntur. Progre-

Digitized by Google

diente morbo, haec graviora fiunt, aliaque adjunguntur; febris, dolor, et tumor affectae partis augentur; accedunt respiratio difficilis, tussis pertinax, vomitus, cardialgia; si aperiatur alvus, dejecta sunt dura, decolora, aut cinerea; urinae redduntur turbidae, biliosae; elevantur scapulae; extremitates superiores, et inferiores extenuantur; ulcera spontanea in suris, et malleolis prodeunt. Postremo febris habitualis, et lenta evadit, maxime dejiciuntur vires, totumque corpus marcescit. Interdum etiam sequitur hydrops. Saepe lenta hepatitis in febribus intermittentibus, potissimum autumnalibus pervolvitur, cujus praecipuum indicium est ictericus color. Etenim in hisce febribus crassus sanguis per venas portarum lento gradu circulans, easque opplens hunc morbum inducere valet.

§. 415. Distinguitur hepatitis a peripneumonia, dolore hypochondrii dextri pressione aucto, qui dum ad claviculam, et summum humeri dextri ascendit, minus acutus est; singultu; tussi sine ex-

creatu; leviori dyspnoea; faciei pallore; vomitu bilis: ab enteritide, defectu doloris circa umbilicum: a gastritide, absentia ardoris, et doloris ventriculi, quibuslibet ingestis adaucti, et immediatae ingestorum, et medicamentorum ejectionis: ab affectionibus hysterica, et hypochondriaca, praesentia febris: a ductuum biliferorum spasmo, constantia doloris; frequentia pulsus; positura corporis extensa, et quieta; nam in spasmodica affectione horum ductuum major quies obtinetur flexione corporis versus anteriora. Dum autem chronica hepatitis tumorem dolentem infra costas spurias, vel in ipsis praecordiis inducat, hic ab inflatione sordibus producta distinguendus est. Haec enim prompte evanescit, si sponte, aut arte evacuentur sordes.

§. 416. Praeter generales inflammationis caussas, plures sunt, quae frequentius acutae hepatitidi occasionem praebent, ut immodica corporis exercitatio; vini et liquorum spirituosorum abusus; prava alimenta; insolatio; solidae concre-

Digitized by Google

tiones; capitis laesiones; febres intermittentes, et remittentes diuturnae; graviores animi affectus: chronicae vero, continuae, et largae vini potiones; externae capitis violentiae; ulcera, tumores scirrhosi hepatis; febres intermittentes autumnales, et contumaciores. Ad hepatitidem acutam dispositi prae aliis sunt juvenes, robusti, plethorici, et qui ex frigidis regionibus in calidas migrant: ad chronicam vini potores, debiles, hypochondriaci, tristes, morbis fracti, obstructionibus hepatis, et intermittentibus febribus diuturnioribus laborantes. Sub calido climate, ob majorem forsan secretionem bilis, aut ob acriorem bilem, magisque irritantem, frequentius inflammatur hepar.

§. 417. Hepatitis eosdem ac reliquae inflammationes exitus habet. Generatim periculosa est, sed magis convexae, quam concavae hepatis partis inflammatio. Prognosis vero a caussarum notitia, vehementia, et duratione symptomatum, aegri aetate, viribusque, ac corporis con-

stitutione deducitur. Malum est, si caussae sint nimis efficaces, fractae vires, gravia symptomata, ut acutus hypochondriorum dolor, ad claviculam, et humerum dextrum ascendens, tussis sicca, dyspnoea, singultus, delirium, calor urens, pertinax alvi durities, cutis siccitas. Inquit Hippocrates aph. 17. sect. 7. = Hepatis inflammationi singultus succedens malum = Ex adverso, si hepatitis sit recens, non tam vehemens, ejus caussae mitiores, validae vires, alia mala in hepate non praeextiterint, sollicita fuerit curatio, resolutio speranda est. Ut plurimum alvi fluxu bilioso, et subcruento; urina copiosa, rubra, lateritia, sedimentosa; abundantibus, tepidisque sudoribus; larga narium haemorrhagia; haemorrhoidali fluxu; vomitu; ac interdum sputo copioso resolvitur. Tam convexae, quam concavae partis inflammatio habet suas peculiares crises, ut de crisibus lib. 3. cap. 3. ita inquit Galenus = Hepatis gibbae partes inflammatae tribus praecipue modis obediunt: haemorrhagiis ex de-

xtra naro, atque sudoribus utilibus, et urinis copiosis. Simae autem partes excrementis alvi biliosis; atque sudoribus, nonnunquam etiam et vomitibus = Cum hepatitis per fluxum biliosum subcruentum in sanitatem tendat, hic ante diem quartam contingere dicitur. Materies enim inflammatoria soluta, et mobilis reddita per ductum choledochum in duodenum descendit, et hinc per alvum exit. Hujusmodi evacuatio cum levamine, utpote subcruenta, habenda non est dysenterica; nam gravia tormina, et tenesmus deficiunt. Dejecta materies non semper pura est, quia contentis in intestinis miscetur, ut animadvertit Swietenius. Ut subflavus fluxus utilis sit, ante quartam diem contingere debet, secus, dum morbus diutius procedit, potius in suppurationis timorem conjicit. Levatur quoque hepatitis, si ante quartam diem urina copiosa, crassa, rubra, lateritia, et cum subalbo sedimento reddatur. Materies enim morbi ab extremitatibus venae portarum in venam cavam transit, et hinc

humoribus circulantibus mixta per varias vias è corpore expellitur, potissimum per renes, ubi plurimae secernuntur materiae. Id veterum, et recentiorum observata confirmant. Saepe copiosis, tepidisque sudoribus hepatis inflammatio solvitur, quod etiam in aliis acutis morbis usuvenit. Pro resolutione morbi saepe utilis est haemorrhagia narium, non solum quia sanguinem imminuit, sed etiam quia morbi materiem subtrahit, ut ab ipso colore sanguinis deprehenditur, qui nunquam rutilus, sed nigricans est. In hepatitide vero haemorrhagia juvat ex dextra nare, ut ex sinistra, si lien, et loca vicina afficiantur; licet haec regula constans non sit. Futuras haemorrhagias criticas narium hypochondria tensa aut ad dextrum, aut ad sinistrum latus indicant. Etiam haemorrhoidalis fluxus hepatitidem frequenter discutit. Venae enim haemorrhoidales ad venam portarum sanguinem ferunt, ideoque dum ab istis venis excedit sanguis, vena portarum, et hepar exoneratur. Aliquando vomitus resolutioni fa-

vet, si ante decimam quartam diem eveniat. Aliquando etiam ab erysipelate in aliqua externa parte erumpente hepatitidem resolvi, observatum est. Crebro suppuratio inflammationi hepatis succedit. Cognoscitur, morbum ad hanc vergere, si ultra triduum maneant inflammationis foenomena; si nulla adsint resolutionis signa, et nulla materiei inflammatoriae solutio, et excretio. Signa autem peractae suppurationis sunt horrores, imminutio doloris, ejusque mutatio in pulsatilem, sensus ponderis in affecta parte, febricula vespertina, faciei rubor, sudores nocturni. Periculosa est suppuratio; siquidem hepar est molle viscus, plenum sanguine componentibus bilis scatente, ac ductibus secretoriis compositum, jam bilem continentibus: tamen diversum exitum habet. Inquit Hippocrates aph. 45. sect. 7. = Qui suppurato hepate uruntur, si pus purum, et album fluat, evadunt; in tunica enim his pus inest: si vero qualis amurca fluat, pereunt. = Si suppuratio bona sit, circumscribitur, quod prac-

cipue in parte hepatis convexa contingit, ubi vomica ab externa membrana retinetur. Si vero abscessus in interna visceris substantia fiat, omnia in putrilaginem vertuntur, et mors sequitur. Saepe abscessus totum hepar depascit, quia pus in loco clauso retentum expedite propinquas molles partes consumit, et erodit. Saepe etiam rumpitur abscessus, et in abdominis cavum diffunditur pus. Interdum hoc in intestina fluit, si exesis ductibus biliariis, in ductum hepaticum descendat. Interdum vero absorbetur, in sanguinem fertur, et ad alia loca deponitur. Si abscessus versus exteriores partes tumeat, percipiaturque fluctuatio, resecari potest, ut eliminetur pus. Si vero is in concava hepatis parte efformetur, raro tumor, et fluctuatio deprehenditur. Facile rumpitur, et ab effuso pure inflatur, et tenditur, abdomen; superveniunt animi deliquia, sudores frigidi, summa virium dejectio; facies collabitur, et aeger moritur. Interdum abscessus viam sibi aperiendo per diaphra-

gma, pus in cavitatem pectoris ascendit, et pulmonum tabem ulcerosam infert. Si vero per pulmones effunditur, screatu ejicitur. Dum substantia hepatis ab abscessu consumitur, oritur lenta febris cum corporis macie, magna siti, debilitate, anxietate, ventris fluxu materiei saniosae foetidissimae, urina nigra, cui succedit mors. Si ex ulceribus hepatis materiae saniosae in cavum abdominis fluant, omnia corrumpuntur viscera, et cum lenta tabe lethalia prodeunt symptomata. Cum subito absorbeatur pus, et sanguini immisceatur, perturbantur functiones omnes, adveniunt exitialia symptomata, et improvisa mors. Si non adhuc degeneratum pus sensim resorbeatur, fieri potest, quod per urinae vias detrudatur, aut in loca minus periculosa deponatur. Cum autem pus, aut ichor in intestina profluat, vomitus purulenti, aut ichorosi male olentes, ac similes colliquativae et lethales dejectiones consequuntur. Si inflammationi hepatis succedat scirrhus, dum obdurescit viscus, aliquando ejus moles

ita minuitur, ut durities tactu deprehendi nequeat; aliquando grandior fit, potissimum si febres intermittentes diuturnae praegressae sint. Noscitur scirrhus a duritie dextri hypochondrii; quodam ponderis sensu, expiratione aucto; in expirando labore; vitiata digestione; copiosis flatibus; alvo adstricta; arida tussi, post pastum exasperata; perpetuo ictero; difficili in alterutrum latus decubitu; pedum oedemate, praesertim dextri. Animadvertendum vero est, quod interdum sub costis spuriis comparet tumor, quin primitus afficiatur hepar, ut vol. 1. path. spec. §. 269. ita adnotat Sprengel = Cavendum vero, dum ejusmodi tumorem sub costis spuriis animadvertimus, ne semper primitus affectum hepar credamus: etenim pulmonum suppuratio, aut colluvies aquosa saepius cum diaphragmate hepar ita deprimit, ut tumor surgat similis. = Vix unquam sanari scirrhus, nec praepediri mala queunt, quae ab hoc producuntur. Etenim abdominales stases, lenta sanguinis circulatio per venam por-

tarum, et ipsius circuitus per cor perturbatio subsequuntur. Tum saepe è naribus stillat sanguis. Rarius hepatitidi supervenit gangraena, quae dum obvenit, lethalis est, et subita doloris cessatione; virium infirmitate; pallore; pulsu parvo, tremulo, frequenti; vomitu sanguinis, bilis, materiei nigrae, foetentis, cadaverosae; similibus dejectionibus; continuo singultu; siti inextinguibili; extremorum frigore; syncope dignoscitur. Chronica hepatitis easdem ac acuta terminationes habet. Hujus prognosis ab aegri aetate, diuturnitate morbi, statu virium, vehementia symptomatum eruitur. Parum, aut nihil sperandum est, si nimis dejectae sint vires, summa corporis macies, et hydrops accedat. In hoc morbo transudatio gelatinae, aut lymphae coagulabilis; adhaesiones; materies serosa aut in tunica peritonaei, aut in peculiari sacco congesta; ulcera frequenter contingunt.

§. 418. Sectione cadaverum varia adinveniuntur in hepate. Subinde magna visceris moles, et dura; subinde non au-

cta, sed durissima; color naturali intensior; inflammationis signa in membranis; adhaesiones cum ventriculo, intestinis, diaphragmate; magna quantitas lymphae coagulabilis, et gelatinae; abscessus in substantia visceris; albida tubercula a lymphae coagulabili, aut gelatina confecta; concrementa biliosa; hydatides; lobi sphacelo corrupti; ut ep. 34. n. 25. scriptum reliquit Morgagnius.

§. 419. Ad acutam hepatitidem curandam sanguinis missiones, potiones, fomenta, clysmata, quae diluunt, resolvunt, leniter materias biliosas expellunt, eisque resistunt, praecipue si ab istis morbus dependeat, expediunt. Praemissis sanguinis missionibus è brachio, aut pede, morbi violentiae, aegri aetati, viribusque congruentibus, hirudines, vasis praesertim haemorrhoidalibus, applicentur. Dextro hypochondrio, et universo abdomini fotus emollientes admoveantur; clysmata ex decoctis emollientibus injiciantur, ut a sordibus intestina liberentur, et absorbeantur fluida, quae molliunt, diluunt-

que; pro potu, et victu serum lactis recens; decoctum hordei; aqua cum succo citri, vel malorum aureorum, et saccharo; emulsiones seminum melonum cum nitro; juscula carnium concedantur. Si adsint in ventre impurae eliminandae materiae, eligantur purgantia levissima, quae non turbent, et evacuationes promoveant, ut pulpa cassiae, tamarindorum, aut aliquis solutivus syrupus. Adhibitis remediis ad resolutionem assequendam, dextro hypochondrio vesicans apponatur. In Indiis orientalibus, et occidentalibus interius, et exterius hydrargyrum exhibetur. Alii, instituta prius antiphlogistica methodo, post quartam, aut quintam morbi diem, alii initio hoc remedio utuntur. Nonnulli hydrargyrum ut purgans, et resolvens adhibent, sed salivationem evitare student; nonnulli oris exulcerationem, levem salivationem aliquandiu sustinendam, hoc remedio producere tentant. Saepe hepatitidem resolvere ipsa natura nititur; hinc ejus adjuvare conatus necesse est, ut notissimo praecepto

docet Hippocrates = Quae ducere oportet, ducenda sunt, quo maxime vergat natura per loca conferentia. = Quocirca si ante quatriduum dejectiones biliosae, et subcruentae incipiant, dentur dilita tamarindorum, serum lactis, maxime cum taraxaco decoctum. Haec etiam erunt utilia, si morbi materies per urinas separetur. Si appareant signa futurae criticae haemorrhagiae nasalis, haec tepidis fomentis fronti applicitis; tepido vapore per nares attracto, qui ipsa calida aqua magis laxat, emollitque, erit promovenda. Si vero haec haemorrhagia sit immodica, remediis est compescenda, quod raro accidit: sed cavendum est, ne salubris sanguinis fluxus retineatur, quod grave discrimen, periculosissimamque recidivam induceret. Si manet criticus sudor, diluentibus, et diapnoicis est adjuvandus, nimirum potionibus seri lactis recentis et calidi; haustu salino; tartaro emetico ad nauseam ciendam; ipso lecti tepore. Fugienda vero sunt calida remedia, et diaphoretica efficaciora, utpo-

te humores nimis commoventia. Si hae regulae teneantur, motusque febrilis modicus sit, resolutum iri morbum, ejusque reliquias minime permansuras, sperandum est. Sedato morbo, per quadraginta, vel quinquaginta dies serum lactis porrigere expedit. Ubi redeat perfecta sanitas, signa, et effecta hepatitidis diffugiunt; ut color ictericus in oculis, facie, urinis, faecibus; dolor dextri hypochondrii; anxietas, praecipue post assumptum alimentum; etc. In chronica hepatitide parum convenit generalis sanguinis missio; in quibusdam vero casibus partialis utilis est. Praecipua hujus morbi curatio in interna, et externa hydrargyri administratione consistit, donec levis salivatio promoveatur. Alii unguento hydrargyri hepatis regionem fricare praeferunt; alii hujusmodi frictiones in quavis corporis parte aeque pollere arbitrantur. Ast semper cavendum est, ne gravis ptyalismus excitetur. Si hydrargyrum interius sumatur, quo magis extrema superficiei vasa incitentur, et intesti-

norum irritatio, quam ipse infert, removeatur, exigua dosis antimonii, et opii adjungi solet. Praeterea necesse est, ut alvus aperta servetur, praesertim in hominibus temperamento bilioso praeditis, ventrisque duritie laborantibus. Etiam insensibilis perspiratio exercitatione, vestibus laneis, frictionibus, balneis tepidis oienda est. Dubitari non potest, quin frictiones, super hypochondriacam regionem manu factae vitalem actionem organorum bilis augeant. Usus quoque aquarum mineralium, quae salia purgantia, et ferrum continent, jure meritoque laudantur; siquidem roborant, et leviter alvum ducunt. Si deficiant vires, tonica, et amara omittenda non sunt, ut cortex peruvianus, radix serpentariae virginianae, ferri praeparationes, epispastica, ictus electrici. Pemberton de morbis viscerum abdominalium loquens, summopere taraxacum comendat, et asserit, ejus extractum, bis ad dimidiam drachmam sumptum in die, contra incipientes scirrhos hepatis, et quasdam chronicas ven-

triculi affectiones efficacissime pollere. Hujus etiam satura decoctio, aut succus expressus recens optimum erit remedium. In Indiis orientalibus, et etiam apud nos, acidum nitricum in multa aqua dilutum cum aliquo syrupo a quibusdam adhibetur. Nescio, an hoc remedium utilitatem afferat. Animadvertit Robertus Thomas, ut auxiliare remedium habendum esse. Administrari enim potest, ubi usus mercurii non convenit, ut in hominibus scorbuto affectis, in quibus hepatis affectionem mitigat, et proclivitatem in scorbutum corrigit. Si denique quaedam symptomata molestent, ut vomitus, tussis, singultus, opium, et ex eo composita utilia sunt.

§. 420. Suppuratio hepatitidi succedens, in Indiis orientalibus, aliisque calidioribus regionibus familiaris, alea plena est; tamen spes nobis subest, si magna puris quantitas in hepate non colligatur. Ast si diu retineatur pus, acriusque evadat, consumitur substantia visceris, nec amplius superatur morbus. Tum

solum symptomatum saevitiem mitigare possumus; quod etiam nobis datum est, dum, rupta vomica, in abdominis cavum profunditur pus. Si materies purulenta per biliarios meatus in intestina descendat, unde vomitus, et dejectiones purulentae sequuntur, majus, minusve vitae discrimen a copia, et qualitate evacuatae materiei dependet. Tum detergentia, et humorum corruptionem reppellentia juvant, ut serum lactis recens cum acetosa decoctum; decoctiones hordei, avenae, oryzae; juscula carnium cum succo citri; corticis peruviani decocta. Si autem pus sanguini immiscetur, diluentia, abstergentia, antiseptica expediunt, quae arcent putredinem, et incoeptam emendant, ut serum lactis cum acetosa decoctum; cortex peruvianus; acida fossilia; aquae minerales. Cum abscessus in parte hepatis convexa fiat, cataplasmata, et fomenta juvant. Cum autem ad maturitatem pervenerit, quod a tumoris mollitie, et evidenti fluctuatione cognoscitur, ferro aperiendus est. Sole-

bant veteres causticis, et ferro ignito uti, quia lethalem haemorrhagiam timebant; sed majorem sectionis utilitatem experientia confirmavit. Itaque dividantur prius integumenta, ut prominens abscessus appareat, lanceola pertundendus. Observanda est puris qualitas, quae si bona sit, de aegri salute sperare licebit. Bonum pus est album, inodorum, laeve, aequale; malum fuscum, lividum, nigrum, foetidum, saniosum, utpote majorem corruptelae gradum, pessimamque partis conditionem, in qua continetur, indicans. Mors certe sequitur, si loco boni puris, putrida sanies egrediatur. Dum in peracta hepatis suppuratione delabuntur aegri vires, cortice peruviano, vino generoso, et nutriente victu sustinendae sunt. Si hepatitis scirrho terminetur, summa in exhibendis remediis cautela necessaria est; siquidem in cancrum facile transit. Tuta judicantur, quae acria non sunt, et sine circulationis augmento duritiem discutiunt. Hisce scirrhus incipiens resolvi potest. Cum in cancrum abiverit,

acer ichor in intestina depluit, et brevi aeger moritur. Gangraena lethalis est, et omnia cito corrumpit.

GENUS OCTAVUM

Splenitis.

§ 421. Lienis inflammatio vocatur splenitis. Minus est frequens, quam reliquorum viscerum inflammatio, ut adnotavit Trallianus. Symptomata sunt febris acuta, continua cum rigore invadens; dolor in regione lienis, pressione, et inspiratione auctus, ad humerum, mammam, claviculam ejusdem lateris productus; tensio, et pulsatio sinistri hypochondrii; difficilis respiratio cum tussi; interdum singultus ob diaphragmatis compressionem; sitis; nausea; molestus in dextrum latus decubitus; anxietas. Aliquando alia prodeunt symptomata a consensu partium producta, ut vomitus, dolor in sinistro rene. Tussis, singultus, alvi durities inflammationem partis superioris lienis

comitantur. Nonnunquam splenitis pro pleuritide judicatur; sed hujusmodi error non affert damnum; nam horum morborum curatio minime differt. In hac aegritudine signum a laesa visceris functione desumi non potest. Lien enim inservire videtur hepati, quod subito ab ejus alteratione vitium non contrahit.

§. 422. Caussae splenitidis sunt inflammationibus communes. Saepe vero a febribus intermittentibus diuturnis producitur in liene chronica inflammatio. Repetitis enim accessionibus, potissimum frigoris tempore, magna sanguinis quantitas ad lienem propellitur, dum solida debilitantur; hinc efformatur tumor durus, qui sub costis spuriis deprehenditur; suscitatur dolor aliquando acutus, et alia lentae phlogoseos signa. Interdum haec lenta inflammatio ab aliis caussis progignitur, ut a menstruorum, et haemorrhoidalis fluxus suppressione; ab infarctu viscerum abdominalium. Hisce in casibus adest tumor in sinistro hypochondrio; vexant dolores, ut plurimum fugaces; li-

Digitized by Google

vescit facies; laboriosus est in dextrum latus decubitus; alvus aut compressa, aut soluta, et materiae vel sanguineae, vel saniosae dejiciuntur; urinae supprimuntur; febris lenta ad hecticam accedit.

§. 423. Resolvitur splenitis, si vehemens non sit, et prompte curetur. Interdum materies morbi per splenicam venam fertur in hepar; hinc movetur dysenteria utilis, dummodo longa non sit, ut Hippocrates inquit in Coacis. = Dysenteria non longa splenicis utilis; longa vero mala = Interdum vomitu materiei subnigrae; interdum haemorrhoidali haemorrhagia splenitis discutitur. Haec vero non raro lethalis est; quod primum a vehementibus inflammatoriis symptomatibus, mox a virium jactura, vomitu cruento, livore faciei, animi deliquiis, et convulsionibus cognoscitur. Minus splenitis in suppurationem abit. Hanc observavit Hippocrates, et ad pus educendum, ut in vomica hepatis, ustionem jussit. Quo exterius aperiatur abscessus, fomenta, et cataplasmata emollientia affectae parti ad-

moveantur. Si pus in abdominis cavum diffundatur, exitus serius: ocyus lethalis est. Longe frequentius inflammatio lienis transilit in scirrhum. Tum auctus visceris tumor duritie, et pondere vicinas partes premit, distrahit, ac dolores intolerabiles suscitat. Saepe per plures annos tumore scirrhoso lienis homines laborant, quin grave valetudinis detrimentum patiantur. Post lentas inflammationes crebro indurescit lien, ac deinde etiam intumescit hepar. Nonnunquam dum induratur lien, mole minuitur, et contrahitur, ut Morgagnius observavit ep. 31. n. 14. Si scirrhus in cancrum degenerat, vicina depascit, immanes cruciatus movet, erosisque vasis lethalem haemorrhagiam infert. Rarissime splenitis terminatur gangraena. Haec potius sequitur splenitidem symptomaticam, quae a contagio pestilentiali nascitur.

§. 424. Curatio eadem est, ac in hepatitide. Conveniunt igitur sanguinis missiones prius generales, et in primis illa in sinistro pede instituta; deinde lo-

cales, hirudinibus aut vasis haemorrhoidalibus, aut parti effectae applicitis. Praeterea fotus, clysteres emollientes, et reliqua antiphlogistica. In suppuratione vero emollientia; in scirrho lenia resolventia, ut martialia, mercurialia, aquae minerales juvant. Pro gangraena nulla est medela; sed dum morbus in hanc vergit, antiseptica adhibeantur.

GENUS NONUM

Nephritis.

§. 425. Inflammatio renum dicitur nephritis. Hujus symptomata sunt febris acuta continua; dolor ingens, ardens, pungens, interdum obtusus in regione lumborum, qui per ureteres ad vesicam propagatur; urina pauca, saepe ardens, guttatim emissa, valde rubra, subinde aquosa, quae, ut animadvertit Boerhaavius, in summo malo observatur; stupor cruris; inguinis, et testis respondentis

dolor; intestinorum cruciatus; nausea; vomitus; ructus frequentes; alvus clausa, sed non tam pertinaciter, ut emollientibus clysteribus non facile obediat; melius aeger in affectum latus decumbit, et multum patitur si incedere, aut truncum erigere velit. In hujusmodi morbo valde laeditur renum functio. Ab inflammatis enim vasis secretoriae fistulae minores comprimuntur, et urinae minuuntur. Si hae per vehementem febrem acriores fiant, ob assiduum stimulum continuo emittuntur, licet exigua quantitate in vesica contineantur. Si vasa admodum premantur, liquidissima solum humorum pars secernitur, unde urina aquea redditur, licet febris valida sit, et acuta. Ait Swietenius §. 993. = Mala tunc merito damnatur talis urina, et ut signum, et ut caussa. Ut signum, quia notat validam inflammationem adesse per totam renum substantiam; ut caussa vero, quia omnia acria per urinam naturali lege de corpore eliminanda, retinentur, et diluens sanguinis ad renes appulsi, vehiculum a

reliquis partibus secedens facit, ut inflammatoria densitas in sanguine augeatur. = Dum nephritis est maxime vehemens, omnes nervi per intestina, et viscera abdominis irritantur, unde intestinorum, aliarumque partium dolores nascuntur. Aliquando adest stupor cruris, et dolor inguinis, vel testis, licet haec symptomata frequentius nephritidem calculosam comitantur. Ab inflammatis enim renibus partes praecipue vicinae, sub peritonaeo haerentes, premuntur; proindeque magna vasa, pluresque nervi versus femur tendentes, et spermatica vasa comprimuntur, irritanturque.

§. 426. Nephritis dicitur calculosa, si ab arenis, vel a calculo in pelvi renum haerente nascatur. Distinguitur a peculiaribus signis, praesertim a stupore cruris, et testis retractione. Dolores eadem semper intensitate non angunt; quod a vario loco, quem occupant calculi, et ab eorum varia figura dependet. Si enim in renibus calculi laeves, et spherici adsint, dolores sunt obtusi, et gra-

vantes; si asperi, et acuminati in ureteres descendant, dolores acerbius premunt. Cum ureterum capacitas aequalis ubique non sit, dolores aut mitescunt, aut augentur, prout calculi angustiora, aut ampliora loca subeunt. Quocirca acutissimi sunt, dum calculi per illum ureterum angustum locum transcendunt, qui prope vesicam est. Cum vero hi defabantur in vesicam, ob majus, quod inveniunt, spatium, cessant dolores, sed quoddam pondus, aliquod in mingendo impedimentum, stimulus frequens urinam reddendi percipitur. Urina arenulosa calculorum, aut calculosarum concretionum indicium est, si, hac reddita, statim subsidat arena, quae pressa digitis non expedite comminuatur.

§. 427. Per exposita signa nephritis generalibus inflammationis caussis orsa a calculosa discernitur. Sic nephritis a colicis doloribus distinguitur, qui aut tarde primum, aut per intervalla molestant; magis anteriora petunt; raro a mingendi difficultate consociantur.

§. 428. Oritur nephritis vel a generalibus inflammationis caussis, vel a renulis et calculis renum, qui vel asperitate sua eos irritant, et laedunt, vel vicina vasa mole comprimunt. Idcirco hujus morbi caussae esse possunt vulnera, contusiones, lapsus, et ictus super renum regionem; diuturnus in dorsum decubitus; longa, et violenta equitatio; incurvati corporis nisus; subita lumborum refrigeratio; alimenta nimis stimulantia, et potiones spirituosae affatim haustae, aut nimis calidae, aut nimis frigidae; acria diuretica, ut cantharides; balsamorum abusus; venena, ut arsenicum; faeces induratae in colo; podagra retropulsa; retrocessio exanthematum vel acutorum, vel chronicorum; vicinarum partium, et viscerum inflammatio. Quidam sunt magis nephritidi dispositi, ut plethorici, maxime liquoribus spirituosis, et acribus alimentis indulgentes; podagra, et calculis renum laborantes.

§. 429. Resolutio nephritidis speranda est, si inflammatio tam gravis non

sit; sensim dolores mitigentur; calidi sudores per universum corpus erumpant; urinae copiosae, crassae ante diem septimam, aut decimam quartam fiant; haemorrhoides fluant, praecipue in initio morbi, ut animadvertit Boerhaavius. Infausta vero signa sunt febris vehemens; dolores pulsantes, sternutamento aucti, aut subito cessantes; frequens mejendi necessitas; urinae defectus; singultus; delirium. Quoniam in nephritide afficiuntur renes; magis commodam, et naturalem viam morbosae materiei solutae per uretres in vesicam esse, quisque videt. In caeteris inflammatoriis morbis laudantur urinae, quae bonam hypostasin deponant; sed in nephritide utiles etiam sunt crassae, quae nihil subsident, aut inaequale sedimentum dimittunt, quod in aliis morbis malum judicatur. Ratio est, quia in istis morbis materies morbosa soluta, et mobilis reddita sanguini immiscetur, et ab actione vasorum talis fit, ut in urinis copiosum, et aequale sedimentum relinquat: in renibus vero materies morbosa

vix solvi incipiens exit cum urinis. Quapropter etiam urinae fuscae juxta practicorum observata bonae esse possunt. Inquit Svvietenius §. 996. = Vidi sic in nephritide inflammatoria optimo cum eventu excretam crassam, fuscam, potum caffè dilutiorem referentem; qualis urina in aliis morbis non adeo boni ominis foret. = Si hujusmodi urinae die septima, aut decima quarta fiant, proficuae sunt; si vero postea, aut suppuratio, aut scirrhus timendus est: tum evidenter liquet, materiem morbi aegre subigi, excernique posse. Inter nephritidis initia, si haemorrhoides abunde fluant, bonum est; nam ita derivatur a renibus affluens sanguis, et per abdominalia viscera liberius circulat. Hujusmodi fluxus non tam ad morbi materiem evacuandam prodest, quam ad imminuendam copiam, et impetum sanguinis ad renes, unde inflammatio facilius resolvitur. Si vero aliquo die critico sanguis è vasis haemorrhoidalibus effluat, materies morbosa potius emittitur, quae etsi per urinae vias

frequentius abeat, tamen etiam sanguini immisceri, et per aliquem locum evacuari potest. Cum nephritis non resolvatur, et diem septimam superet, metuenda est suppuratio, potissimum si caussae leves non sint. Dum formatur abscessus, mitior fit dolor, sed ejus loco pulsatio percipitur; horrores vagi recurrunt; adest gravitas, et affectae partis stupor. Si hujusmodi symptomata praetergressa sint, et perstent; ardor, tensio, et alia prodeant, quae a distractione, et compressione vicinarum partium, a renali vomica adhuc clausa inducta, proficiscuntur; urina purulenta, et foetida sit; de absoluta suppuratione non erit dubitandum. Dum maturus abscessus rumpitur, dolor obtusus, acutus fit; nam lacerantur membranae pus continentes, aut rupturae fiunt proximae. Rupta vomica, pus cum urinis exit, quod esse solet foetidum, praecipue si diu clausum manserit; sed sequentibus diebus tantum foetorem amittit. Pus in urinis est absolutum suppurationis renalis signum, si praecedant nephritidis

symptomata; secus dubitationi locus est. Pus enim interdum a suppuratis renibus, aut suppurata vesica urinaria provenit, aut resorptum, quod in aliis partibus colligebatur, per urinarum vias egredi potest. Dum actioni vasorum prius subjacet, urinae mixtum secernitur, et sensim matulae fundum petit. Sed si ab ulceratis renibus manet, non accurate immiscetur urinis, et statim ad fundum vasis deponitur. Observata docent, pus vesicae urinariae tenacius esse, promptiusque abjici; illud vero renum tenuius. In abscessu vesicae urinariae quaedam in urinis ramenta deprehenduntur, quae forsan non sunt, nisi frusta internae membranae sejuncta; in abscessu autem renum carneae particulae divelluntur, quae a Swietenio partes semigangraenosae substantiae renum creduntur. Renum suppuratio discrimine plena est, sed ad recte praesagiendum, puris conditio observetur. Si enim hoc leve, album, aequabile est, spes sanationis exurgit; rursus, si hisce qualitatibus non polleat. Ast ani-

madvertendum est, quod, rupta vomica, raro pus bonas qualitates praesefert, praecipue si diu clausum manserit, utpote foetidum, et nonnunquam sanguinolentum. Sequentibus vero diebus ejus quantitas imminuitur, et melius fit. Cum suppurationes diuturnae sint, renum substantia consumitur, et inutilis effingitur saccus; sed urina ab altero rene secernitur, si sanus maneat. Renalem suppurationem lethalis haemorrhagia non sequitur, ut in aliis viscerum suppurationibus obvenit. Videntur enim in hac suppuratione vasorum extrema contrahi, unde sanguis non trajicitur, qui libere per ramos permeat. Diutina suppuratio ad tabem plerumque conducit, aut quia nimis prosternit vires, aut quia resorptum pus cacochymiam purulentam infert. Ulcera renum insanabilia sunt, potissimum a calculis nata. Calculi enim, qui in vesicam descendere noqueunt, producunt ulcera, eorumque depurationem, et consolidationem impediunt. Subinde a vasis renum magna humorum albuminosorum, vel se-

rosorum copia funditur, unde adhaesiones cum partibus propinquis, aut aquosa colluvies inter membrananr renes circumvestientem et tunicam adiposam, aut hydatides nascuntur, quae interdum ita premunt vasa, ut urina aut intercipiatur, aut aquosa fiat. Dum nephritidem excipit scirrhus, si nondum malignus, renum, et adjacentium partium functio laeditur. Indolens est, sed varia mala gignere solet. Scirrhosi renes mole aucti, praeter ponderis sensum, ob pressionem praecipue nervorum ex spinali medulla ad artus inferiores tendentium, stuporem aut debilitatem crurum afferunt. Inquit Boerhaavius ab hac caussa paralysin, aut claudicationem suppositi cruris oriri; sed Swietenius §. 1003. id esse dubium, ita exponit. = An autem a renibus tumentibus perfecta paralysis in femore, et crure ejusdem lateris produci possit, dubium videtur, cum magni trunci nervosi, his partibus prospicientes, ex foraminibus ossis sacri emergant, et tali situ locentur, ut vix a renibus etiam tumi-

dissimis comprimi possint. = Hujusmodi scirrhus immedicabilis est, et lentae tabi, ac hydropi caussam praebet. Si nephritis in gangraenam abeat, haec a subitanea, et non expectata doloris remissione; extremarum partium frigore; pulsu debili, intermittente; nervorum resolutione; sudoribus frigidis; animi deliquiis; delirio; singultu; vomitu bilis, vel perfecta urinae suppressione, vel excretione urinae nigricantis, putridae, foetidae cognoscitur. Futuram gangraenam, vel sphacelum caussae, et symptomatum vehementia; praesentem subita virium jactura, doloris remissio absque caussa, urinae qualitas praecipue indicant. Cum enim substantia renum in putrilaginem convertatur, ab hac corruptela urina inficitur. Gangraena autem per vicinas partes propagatur, quae ichore gangraenoso alluuntur. Nullo negotio intelligitur, quam exitialis sit hujusmodi nephritidis exitus; nam etsi separatio mortuae partis aliquam spem praebere possit, nihilo-

minus post hanc separationem ulcus remanet difficillime sanandum.

§ 430. Ad nephritidis resolutionem assequendam statim generales sanguinis missiones, postea partiales conveniunt, quae fiunt hirudinibus aut vasis haemorrhoidalibus, aut partibus verendis, aut regioni lumborum applicitis. Sic utilia sunt fomenta tepida emollientia, semicupium, laxantia, clysmata, demulcentia, ut emulsio arabica, decoctiones hordei, florum malvae, victus tenuissimus. Praemissis sanguinis missionibus, aliisque remediis, quae vehementiam inflammationis coercent, et imminuta febre, si acerrimi cruciatus, et convulsiones urgeant, prudenter opiata adhibeantur, quibus hujusmodi symptomata mitigantur. Cum in curatione nephritidis dubius sit nitratis potassae usus, satius videtur, ob irritationem, quam in renibus inducere valet, ab hoc abstinere. Vesicantia, quae organa, et vasa urinaria nimis irritant, et inflammationem augent, fugienda sunt; ut diuretica, et balsami-

ca, quae ad promovendam urinae secretionem sine ratione nonnulli celebrarunt. Eadem curationis ratio pro nephritide calculosa expedit. Etenim post venae sectiones optima emollientia sunt, quae relaxant, et lubricant vias, per quas calculus transit. Immerito acriora diuretica praedicarunt, qui cum urina copiosius secreta propelli calculum arbitrabantur. Recte considerat Swietenius, urinam per fistulas renales secretam sensim in pelvim, et ureteres depluere, suoque motu detrudere calculum non posse. Diuretica potius nocent, utpote stimulantia, quae febrem intensiorem, et urinam acriorem reddunt. Itaque aquea, et emollientia remedia, oleosa, quae emolliendi, et relaxandi facultatem habent, solum opportuna sunt. Ubi compareant suppurationis signa, quo citius haec fiat, et formetur blandum pus, decocta emollientia copiose hausta, clysmata, cataplasmata regioni renum admota, balnea juvant. Cum vero ex signis dignoscitur, jam in renibus abscessum confectum esse, curandum

est, ut ocyssime rumpatur vomica, ne collectum pus putrescat, vel sinuosa ulcera pariat, vel resorbeatur. Id obtinetur, si sternutamenta, aut tussis promoveatur; aut vectio in rheda praecipiatur. Disrupta vomica, et facto in renibus ulcere, urinarum acrimonia copiosis detergentibus potionibus flectenda est. Praeterea conferunt decocta mucilaginea, aqua calcis, cortex peruvianus, serum lactis, aut lac asininum, aquae medicatae, quae aliquam portionem blandi, et detergentis salis contineant, vel chalybeatae sint. Ad detergendum autem, et consolidandum renum ulcus opem ferunt balsamica, ut terebinthina, balsamum Copaibae, sed paroa dosi; ne nimis calefaciant, et irritent. Hisce remediis aut serum lactis, aut alicujus herbae vulnerariae decoctum superbibere praestat. Victus esto nutriens, et posteaquam ulcus repurgatum sit, lac bubulum prodest. Scirrhus, et gangraena immedicabiles sunt.

GENUS DECIMUM

Cystitis.

§. 431. Vesicae urinariae inflammatio cystitis nuncupatur. Urinae receptaculum, utpote sensibilissimum, non raro inflammatione laborat. Hujus morbi signa sunt febris acuta; ardor, et dolor in regione pubis, qui extenditur ad lumbos, et ad hypogastrium, et motu corporis, mingandi conatu, et attactu augetur; pulsus durus, frequens, plenus; abdominis distensio, et tumor; urina suppressa, aut pauca quantitate excreta, aut subcruenta, aut filis membranaceis referta; nisus mingendi, et desidendi, saepe irritus; sensus frigoris per totum corpus, maxime in extremitatibus inferioribus; praecordiorum anxietates; vomitiones, et vomitus biliosus, aeruginosus; ructus continui; singultus; cordis palpitatio; delirium ferox; pulsus irregulares redditi; convulsiones; summa debilitas. Haec sunt generalia signa; sed alia recensentur,

quae partem vesicae affectam denotant. Etenim quamvis tota vesica inflammari queat, tamen inter initia in aliqua ejus parte inflammatio sedet, nimirum aut in partibus lateralibus, aut in suprema, sive fundo, aut in inferiore, sive cervice, aut in anteriore, aut in posteriore. Itaque si inflammentur latera, praeter ardorem, et dolorem, consueta et pedissequa inflammationis symptomata, ostia ureterum clauduntur, unde urinarum transitus cohibetur. Quapropter distenduntur ureteres, dolores producuntur ad renes, qui etiam distenduntur, irritanturque. Vacua ideo fit vesica urinaria, si utraque ejus latera inflammatione corripiantur; prorsus laeditur renum functio, et eorum pelvis, vel ureterum ruptura, aut gangraena sequitur. Si inflammatio vesicae fundum invadat, dolor premit in parte superiore regionis pubis; continuus est mejendi nisus, etiam a paucissima urina; nam imminuitur cystidis capacitas, ac summa est ejus irritabilitas. Si inflammatio subsit in collo, lancinans dolor ad

perinaei regionem urget; a suppressa urina surgit tumor ovalis, et oblongus ex imo abdominis, qui praecipue in hoc casu observatur; tumor etiam pressione dolens facile deprehenditur, si per rectum intestinum exploretur digito. Si inflammatio anteriorem parietem invadat, dolor est maximus, et ab attactu augetur; si posteriorem, excruciant acutus dolor, alvi obstructio, tenesmus, haemorrhoidalium vasorum tensio, et pulsatio, et facile morbus ad vicina viscera propagatur. Hujusmodi symptomata in initio morbi diversam partem vesicae urinariae affectam indicare valent; sed in progressu, et augmento insimul confunduntur, cum fere omnia prodeunt, et dolores ad alias partes extenduntur. Si cystitis primaria est, et vehemens, ingenti, et acuta febre; pulsu duro et pleno; urina flammea, tenui, aquosa; et a reliquis intensioribus symptomatibus cognoscitur: si symptomatica, erysipelatosa, lenta, superficialis, est mitior, ac saepe febris levissima.

§. 432. Caussae cystitidis aut generales, et communes sunt inflammationis, aut speciales, quae vel ad vesicam, et loca vicina majorem sanguinis copiam, et impetum accersunt, ut menstruorum, aut haemorrhoidalis fluxus suppressio, aut aberratio; longa, et rapida equitatio: vel eam irritant, ut calculi; urinae retentio; potionum calidarum, acrium, et aromaticarum abusus, ut et diureticorum; depositiones materiei morbificae; morborum cutaneorum retropulsiones; herpetica, erysipelatosa, rheumatica, scrophulosa, venerea, podagrica diathesis; contusiones, ictus, lapsus, vulnus, laceratio, imprudens catheteris applicatio; partium adjacentium inflammationes; etc.

§. 433. Cystitis maxime periculosa est; tamen resolvitur, si vehementissima non sit, ejusque caussae sollicita medela removeri possint. Interdum urinis copiosis, crassis, sedimentosis, puriformibus, aut sudore copioso, aequali, et vaporoso, aut erysipelate in cutis superficie egrediente dissolvi solet. Tum minuun-

tur symptomata, licet per longum tempus vesicae tumor cum urinae incontinentia, aut impotentia urinam diu retinendi remaneat. Dum cystitis est lenta, nunquam cito resolutio obtinetur; sed etiam per menses perstat. Si suppuratio sequatur, haec cognoscitur a generalibus signis, praecipue dolore penitus evanescente, et pure, quod in urinis subsidet. Hoc vero interdum ab abscessu vesicularum seminalium, prostatarum, et urethrae provenit; sed ab harum suppurationibus sine nixu ad mingendum distillat pus. Dum in vesica urinaria suppuratio absolvitur, excernitur pus urinae mixtum, et ad vasis fundum prompte desilit. Animadvertendum vero est, quod subinde materies puri simillima a vesica fluit, quae ex lenta ejus phlogosi, et fere coryza, aut catarrho inflammatorio producitur, ut in epit. §. 267. Petrus Franchius observavit. Interdum cystitidem, praecipue lentam, et ab aliquo acri specifico natam, excipit scirrhus. Hic a communibus signis distinguitur, sed in primis tactu, et ex-

ploratione per anum in viris, per vaginam in foeminis instituta; molesto pondere in perinaeo; perturbata urinarum excretione. Pro varia ejus duritie, et extensione plura affert incommoda; sed ut plurimum tabem, et mortem. Saepe succedit gangraena, quae lethalis est. A consuetis ejus signis detegitur; sed praecipue ab urina, prius suppressa, sine aegri sensu exeunte; dolorum cessatione, quae minus peritos fallit; nam paullo post conceptam salutis spem, mortem consequi vident.

§. 434. Curatio cystitidis ab illa nephritidis parum differt. Statim generales sanguinis missiones, deinde locales fiant, hirudinibus vasis haemorrhoidalibus, et praesertim perinaeo applicitis. Usurpentur etiam quae emolliunt, et relaxant; ut fotus, semicupia, balnea, clysteres. Potiones autem nec prorsus negandae, nec nimis concedendae. Si enim negentur, urinae acrimonia augetur, et deteriora fiunt inflammationis symptomata; si vero affatim dentur, ab urinae copia magis vesica distenditur, ac imminens

paralysis, et gangraenae periculum urgebit, maxime si adsit ischuria, cystitidis frequentissimum symptoma. Si opportuna remedia nec resolvunt morbum, nec abigunt vesicalem ischuriam, tentandum est, chordam musicam in vesicam immittere. Sed si hujusmodi tentamen irritum evadat, ab hoc abstinendum, et ad vesicae punctionem deveniendum est. Haec autem punctura modo per rectum intestinum, modo ad perinaeum, modo ad hypogastrium, modo per vaginam institui potest. Si cystitis in suppurationem, aut scirrhum transiliat, generalia expediunt auxilia. In suppuratione vero praeter emollientia, et detergentia interius sumpta, etiam detergentes, et consolidantes injectiones adhiberi queunt. In scirrho praeter alia extractum cicutae, aut hyosciami exhiberi solet. Gangraena immedicabilis est.

GENUS UNDECIMUM

Metritis seu Hysteritis.

§. 435. Uteri inflammatio metritis seu hysteritis nuncupatur. Uterus quibusdam vitae temporibus majorem, vel minorem, vel nullam ad inflammationem suscipiendam dispositionem habet. Hujusce enim inflammationis ante pubertatem non inveniuntur exempla, quae rarissima sunt in virginibus cursibus menstruis donatis, in quibus interdum metritis obvenit, aut quia uterus non adhuc excretioni menstruorum est adsuetus, aut hisce erumpentibus vehementer perturbatur, et incenditur. Non tam raro metritis accidit in foeminis matrimonio junctis; saepius in gravidis; saepissime post longum, et laboriosum partum, primisque puerperii temporibus. Iterum immunes fiunt mulieres, cum per aetatem non amplius menstruorum excretione gaudeant. Si uterus inflammetur, urgent in hypogastrio intensus dolor, ardor, tumor, tensio,

Digitized by Google

ponderis sensus, febris acuta, et alia inflammationis foenomena. Prout vero varius est mobi gradus, varia pars visceris affecta, maximus cum reliquis partibus consensus, symptomata sunt vel violentiora, vel mitiora, vel peculiaria, partem affectam denotantia, vel nova hisce adjunguntur. In quavis parte uterus inflammetur, febris ut plurimum horrore incipit; quem excipit calor; pulsus in validis mulieribus magnus, et durus; in debilibus, licet initio sit magnus, cito parvus, debilis, et inaequalis fit; interdum dolor primis diebus remittens, mox fixus haeret; abdomen etiam inter exordia non tam intumescit; ardor in medio pelvis urit. Ingravescente morbo alia insurgunt pathemata, et organa digestionis maxime perturbantur, ut nausea, ructus, vomituritiones, vomitus materiae biliosae, intestinorum dolores, alvus vel obstructa vel biliosa dejiciens, patefaciunt. Praeterea sitis ingens, linguae siccitas, capitis dolor, anxietas, vigilia, delirium, hypochondriorum tensio, lumborum dolor,

Digitized by Google

pectoris cum tussi sicca cruciatus saepe urgent. Denique non raro accedunt ventris meteorismus; vultus distorsio; mammarum flacciditas; suspiria; singultus; tendinum subsultus; convulsiones; sudores ad frontem, et pectus; pulsus intermittentes, contracti; extremorum frigus; animi deliquia; urinarum, et faecum involuntarius exitus; fluxus è vagina materiae foetidissimae; mors. Quoniam vero inflammatio modo hanc, modo illam uteri partem corripit, nimirum vel fundum, vel cervicem, vel anteriorem, vel posteriorem partem, vel latera, adnotanda sunt signa, quae hanc partialem inflammationem ostendunt. Si igitur haec sedeat in uteri fundo, deprehenditur tumor subrotundus et durus imi ventris; dolor premit tactum refugiens: si circa cervicem et osculum, hoc exploratione digiti clausum, durum, dolens, fervens, retractum reperitur: si in parte anteriore, dolor vexat circa pubem; adest urinae stillicidium, et mejendi difficultas cum summo vesicae cruciatu: si in po-

steriore, torquet dolor circa lumbos; alvus est adstricta; vasorum haemorrhoidalium tumor cum tenesmo agitat: si in lateribus, dolent inguina; torpent crura, et cum labore moventur: si in uno tantum latere, respondens crus aut stupet, et claudicat, aut dolor ad coxam protenditur. Adnotandum vero est, quod frequentissimae inflammatio totum viscus aggreditur, et tum omnia, aut pleraque ex recensitis symptomatibus insurgunt. Persaepe uteri inflammatio phlegmonosa est; sed interdum superficialis, nunc externam nunc internam ejus superficiem occupans, naturam erysipelatosam induens. Insuper modo primaria est, modo symptomatica. Sedulo hae differentiae animadvertendae sunt; siquidem morbo diversam indolem conciliant.

§ 436. Prater generales inflammationis caussas, aliae sunt, quae ad metritidem disponunt, eamque excitant, ut in gravidis gestatio ipsa; lapsus, aut percussiones in distentum uterum; abortus, potissimum pharmacis inductus: in partu-

rientibus partus labores et nisus; incauta chirurgi manus, aut imprudens instrumentorum usus ad extrahendum foetum; in puerperis lochiorum repentina suppressio, et intermissa lactis secretio; violenter et praemature avulsa placenta; hujus portio, aut sanguinis grumus in uteri cavo putrescens; dolores spasmodici diuturni: extra gestationis, et puerperii tempus, cohibitus menstruorum, et haemorrhoidum fluxus; aliqua haemorrhagia retenta; abusus veneris: quocumque tempore, uteri compressio; exceptum frigus aestuante corpore; quaedam animi pathemata, ut amor, ira, terror; retropulsio exanthematum; syphilis; etc.

§. 437. Si saevissima sit metritis, ut plurimum abscindit vitae cursum. Secundum vero morbi violentiam, extensionem, symptomata instituitur praesagium. Hoc enim esse debet infaustum, si gravissima sit inflammatio, totum viscus adoriatur, et funesta symptomata compareant, ut summa virium dejectio, faciei rubor, ventris

meteorismus, rigores frequentes, singultus, tendinum subsultus, convulsiones, sudores partiales; faustum, si mitis sit morbus, in una tantum parte haerens, symptomata levia, et quae sollicitam sanationem promittunt, ut exigua abdominis tensio, lactis secretio, lochiorum, vel menstruorum fluxus, diarrhoea primis morbi diebus, blandus et universalis sudor. Resolutio morbi obtinetur, si caussae superari, vel amoveri possint; si arte, aut sponte jam retenta lochia, menstrui cursus, aut haemorrhoidalis fluxus redeant; si septima, nona, aut decimaquarta die universalis, copiosus, aequalis erumpat sudor cum puriformi urinarum sedimento; si materies purulenta, foetida, vel sanguinolenta ex genitalibus profluat; si contingat ex utero in partem ignobilem alicujus acris materiei conversio. Si suppuratio sequatur, ab internorum abscessuum generalibus notis, symptomatibusque praegressi morbi minime resoluti cognoscitur. Cum conficiatur pus, augentur dolores; febres

vespertinae cum horrore recurrunt; dolor pungens, vel pulsans fit; subinde urinae, et faecum expulsio cohibetur. Si vero rumpatur abscessus, placantur symptomata, et foetidum pus ex genitalibus effluit. Sperandum est, si bonum sit pus, et non ingens ejus quantitas; sensim fiant validiores aegri vires, morbusque minuatur. Felicius erit omen, si abscessus in uteri cavum aperiatur, depleaturque per vaginam; sed si pus in abdominis cavum diffundatur, ascites purulentus producitur, qui lethalis est. Si suppuratio in parte uteri posteriore contingat, rectum intestinum, si in anteriore, vesica urinaria corrumpi potest. Saepe uteri abscessus mutatur in sordidum ulcus, quod post atrocissima dolorum tormenta vitam eripit. Si metritis in scirrhum abiverit, a tumore duro, inaequali, prominente, rubicundo in regione uteri; sensu ponderis in perinaeo; urinarum, et faecum reddendarum labore; stupore, dolore, oedemate crurum; difficili incessu; facie pallida, aut livida; fluxu materiae albidae, aut

spissae; menstruorum defectu; corporis consumptione percipitur. Interdum scirrhus in magnam molem crescit, et hydropem parit. Saepe in cancrum ulcerosum vertitur, qui ab assiduis, rodentibusque doloribus; febre hectica; fluxu saniei tenuis, et graveolentis cum sanguine ex vagina; debilitate summa; vigilia; vitae taedio; aversatione ciborum cognoscitur. Gangraenam autem abdominis meteorismus; dejectiones nigrae, foetidissimae; pulsus parvus, frequens, intermittens; vomitus; singultus; delirium; sopor; sudores frigidi; extremitatum algor; animi deliquia; convulsiones patefaciunt. Haec symptomata tertia, quinta, aut septima die comparent, mortemque praenuntiant.

§. 438. Metritis genericam inflammationis curationem exposcit; sed caussae speciales, temperamentum, et symptomata peculiarem considerationem merentur. Generatim igitur conveniunt sanguinis missiones prius universales, deinde topicae, quae hirudinum pudendis, aut haemor-

rhoidibus applicatione fiunt; fomenta; oleosa; laxantia; clysmata; diluentia; lenia diaphoretica. Speciatim vero, si mulier sit juvenis, plethorica, robusta, si caussae nimis violentae, irritantesque, sola antiphlogistica ratio utilis est: contra, si mulier delicatula, debilis, vehementibus spasmis obnoxia, quorum effectus inflammatio sit, nimis extensa antiphlogistica methodus, praecipue iteratae sanguinis missiones, debilitatem, et spasmorum caussam augeret. Sunt autem casus, in quibus venae sectio non indicatur, ut si morbus a putrescentia, in uteri cavo retenta, proveniat. Tum potius expediunt quae sedant, et putrescentem materiem educunt. Symptomata vero si bona adjuvanda, si mala compescenda sunt. Inter haec frequens est diarrhoea, quae in puerperis funesta vulgo creditur. Sed a medicis distinguendum est, quando mala, et quando utilis judicanda sit. Si a morbi vehementia, et ab ejus propagatione ad intestina nascatur, timenda; sed utilis est, si circa tertiam, vel quar-

tam puerperii diem modica adveniat, et excrementa pulticulam referentia, non pravi coloris cum levamine excernantur. Quapropter si nimia, et symptomatica sit, a violentia inflammationis producta, imminutione sanguinis frenanda est. Subacto autem phlogoseos impetu, opium, et ex hoc composita adhiberi queunt; sed maxima cum cautela. Haec enim remedia, resoluta prius inflammatione, puerperis spasmo vexatis opem ferunt. Si educenda sit ex uteri cavo vel corrupta portio placentae, vel sanguinis grumus, prudenter in uterum injectiones fiant. Hic est ferme solus casus, in quo injectiones conducunt, utplurimum damnosae; siquidem irritationem augent. Evitentur medicamina nimis odorosa, et dulcia, praecipue in curandis puerperis, in quibus nervorum mobilitas maxima est. Quoad curationem suppurationis, scirrhi, gangraenae uteri, generalia praecepta tenenda sunt. In suppuratione vero exitus puris per vaginam est alliciendus, si id abscessus sedes permittat; secus per alias

Digitized by Google

vias, maxime per intestina. Vires alimentis, aptisque medicamentis serventur.

GENUS DUODECIMUM

Psoitis.

§. 439. Inflammatio musculi psoae nuncupatur psoitis. Hic gravissimus morbus ob violentam equitationem Scythis familiaris ab Hippocrate κέδμα dicitur, ut lib. de aëre aquis et locis videre est. Eodem nomine aliis libris diuturnam ad articulos, praecipue ad coxendicem, defluxionem denotat. De significatione hujus vocis Erotianus et Galenus non dissentiunt, qui hac articulorum, et praecipue lumborum diutina ῥεύματα intelligunt. Hippocrates etiam, aliique ad partium genitalium defluxionem indicandam κεδματος nomen adhibent. Cognoscitur psoitis doloribus lancinantibus, pungentibus, ardentibus in psoae musculi regione, a lumborum vertebris ad articulationem femoris et trochanterem, et ad

ipsam fasciam latam descendentibus; febre acuta continua interno aestu, praesertim affectae partis stipata; pulsu duro, frequenti; urina flammea; cute arida, sicca; anxietate, et inquietudine summa. Praeterea lumbalis regio ob extremam sensilitatem tactum non tolerat; stupor cruris, et pedis affecti lateris adest. Modo dolor ad summum humeri, ut in hepatitide; modo ad vesicam urinariam extenditur. Subinde nulla in urinis, et excrementis excernendis difficultas; subinde tenesmus, et contractio sphincteris vesicae urget. Si utrique psoae musculi inflammentur, alterutrius pedis impeditur motus, et lumbi flecti nequeunt. Ex hac descriptione differentia patet, quae inter psoitidem et ischiadem, et nephritidem calculosam intercedit. In ischiade enim deest febris, et dolores ischiadici nervi cursum sequuntur; in nephritide calculosa magis laeditur renum functio, et dolores modo exacerbantur, modo mitescunt.

§ 440. Nascitur psoitis a caussis actionem totius corporis adaugentibus, et speciatim musculos psoas irritantibus, ut equitatio rapida, calculi renum, immodici et assidui labores, febris puerperalis, vehementes nisus, ictus, contusiones. Hinc in puerperis, bajulis, hominibus laboriosis, vehementer equitantibus frequentius observari solet. Interdum a cohibita perspiratione gignitur, dum materies perspirabilis ad musculos psoas transfertur, eosque stimulat, quod nonnunquam sub aëre frigido et humido obvenit.

§. 441. Periculosa est haec inflammatio, quae, curatione praecipue neglecta, in suppurationem, et gangraenam facile transilit. Suppuratio persaepe lentissima est, ac purulenta materies, aut sanies huc illuc translata, aut collecta, plura mala exitialia parit. Si enim in pelvis, aut abdominis cavum effundatur, viscera propinqua offenduntur, et febris hectica cum insanabili macie producitur: si inter peritonaeum et os innominatum accumuletur, carie ossa vicina exeduntur, et ma-

cies consumit corpus; si per inguen desiliat ad femur, frigidus et indolens exurgit tumor, decumbente aegro, subsidens, erecto, auctus, qui si sponte, aut arte aperiatur, foetidissimam materiem emittit, cujus ampla quantitas a profundioribus locis effluere indicat: si aggregetur ad inguina, tumorem frigidum cum scroti inflatione producit: si psoae musculi majoris, et iliaci interni tendines pervadat, etiam tumorem fluctuantem, et frigidum ad coxendicem efficit. Praeterea alia plura contingunt, ut fistulae per crus serpentes; venae cavae labes cum vertebrarum carie; ulcerationes peritonaei; sinuosa ulcera musculos dorsales rodentia; macies insanabilis cum incurvato dorso, resolutione, ac immobilitate pedum; luxatio femoris spontanea; claudicatio; stupor, et inflatio pedis, si articuli femoris manticulam sanies adeat, exedatque.

§. 442. Hujus morbi curationem sanguinis missiones generales, et topicae, fomenta, balnea, potiones diluentes antiphlogisticae, emollientes clysteres absolvunt.

ORDO QVINTUS

Inflammationes extremitatum

GENUS PRIMUM

Paronychia.

§. 443. Quamvis paronychia, sive onychia, sive paneretium chirurgiae objectum sistat, nihilo tamen minus quia interdum acutam febrem, delirium, convulsiones, et alia gravissima inflammationis foenomena gignat, mihi videtur, etiam de hoc morbo paucis sermonem expedire. Paronychia est inflammatio versus digitorum phalanges, et in primis eorum apices, sive extrema, ut plurimum ab intensissimo dolore cum immani pulsationis sensu, et calore distincta, admodum suppurationi proclivis. Hac persaepe digiti manus, sed interdum etiam pedum laborant. Affecti digiti crebro intumescunt et dolent; sed aliquando sine tumore ex-

cruciat dolor, idque obvenit, si morbus circa ossa sedem figat. Quandoque dolores a digitis ad cubitum, et ad humerum producuntur, ob nexum, quem illi per musculos flexores cum hisce partibus habent. Modo autem dolores sunt leves, modo tam acerbi, et intolerabiles, ut funesta pariant symptomata, nimirum febrem acutam, calorem vehementem, vigiliam, animi deliquia, convulsiones, delirium, gravissimam brachii inflammationem, suppurationem, sphacelum, quae, nisi matura accedat medela, vitam in extremum adducunt.

§. 444. Vario modo scriptores paronychiam dividunt. Alii enim in quinque species, ut Gouoy; alii in tres, ut Heisterus; alii in quatuor, ut plerique recentiorum; alii in duas, ut Sprengel. Wardrop descriptis ab auctoribus speciebus aliam adjunxit, quam ob pravam indolem malignam nominavit. Nos autem recentiorum divisionem sectantes, in quatuor species paronychiam distribuimus. In prima specie, quae levior est, nota-

tur vesicula ad radicem, aut ad latus unguis materie referta, sub cuticula contenta. Interdum vero sub ungue efformatur abscessus, et tum dolor gravis est, qui saepe ultra affectam partem extenditur. Paronychia secundae speciei haeret praecipue sub cute in cellulari substantia, et plerumque ad digiti apicem deprehenditur. Sensibilia fiunt inflammationis symptomata, maxime dolor, qui acutus est, sed ultra affectam partem ut plurimum non propagatur. Doloris acerbitas naturae cutis digiti tribuitur, utpote firma, nec expedite cedens. Ab eadem caussa fluctuationem materiei purulentae percipiendi difficultas, ejusque difficilis exitus versus exteriora dependet. In tertia specie exiguus est tumor in afflicto digito, ingens in manu, potissimum versus carpum, et per universum brachium; dolor manum, carpum, cubitum, et non raro summum humeri pervadit, et febrem, vigiliam, nervorumque distensiones inducit. Cum inchoet suppuratio, fluctuatio puris in digito non percipitur,

sed saepe in manu, aut in carpo, aut in alia brachii parte patet. Morbi sedes est in tendinibus, eorumque vagina, unde saepe affectus digitus sese flectendi facultatem amittit. Quarta species in periostii inflammatione consistit, quam persaepe atrocissimi dolores, febris, aestus ingens, vigilia, convulsiones, delirium comitantur. Hujus speciei proprium est, quod dolores, etiamsi crudeles, nunquam ad manum, et brachium extenduntur; ac digiti laborantis tumor parum, aut nihil se se offert. Sollicita plerumque est suppuratio, et post hanc saepe caries, seu potius necrosis ossa invadens.

§. 445. Occasionales caussae paronychiae locales plerumque sunt, ut puncturae instrumentorum acutorum, morsus insectorum, corpora peregrina infixa digitis, usus rerum irritantium, et acrium, quae digitorum partes penetrant, et inflammant. Fieri potest, quod aliquis morbosus humor in digito coactus hunc excitet morbum; sed ut caussa generalis habendus non est, sicut jamdudum plures arbitrabantur.

§. 446. Prognosis paronychiae ex varia ejus specie, et gravitate symptomatum deducitur. Prima, et secunda species parum ut plurimum portendit periculi. Saepe unguis a digito cum dolore recedit, si partes sub illo, aut circa illum positae afficiantur; si vero morbus circa alterutram unguis partem haereat, non raro proximum illius dimidium resolvitur; si morbosus humor sub ungue colligatur, et aliquo modo digiti tendinem affligat, cruciatus intensissimi suscitantur. Maxime periculosa est tertia, et quarta species, ut ex earum descriptione liquet. Tamen sperandum est, si morbus ultra partem primitus arreptam actionem non producat; si optimus sit corporis habitus; si ocyssime instituatur curatio.

§. 447. Ad paronychiae resolutionem assequendam exterius emollientia, et relaxantia, et interdum sanguinis missiones generales, aut locales juvant. Si suppuratio sequatur, promptus parandus est collectae materiae exitus, et graviora mi-

tiganda symptomata. In prima specie aut circa unguis radicem, aut sub hoc morbus subsit, cito abscessus scalpello aperiatur. In secunda specie, si dolor gravis, et febris acuta sit, venae sectio potest expedire. Interdum trium, aut quatuor hirudinum affecto digito applicatio utilis observatur. Proponuntur ab auctoribus quaedam localia remedia, ut spiritus camphoratus, alchali volatile, solutio calida saponis, aut potassae, sed haec resolventia nimis irritationem augent. Primis morbi diebus emollientia, et relaxantia magis conducibilia videntur. Si hisce remediis non minuantur symptomata, scalpello aperienda est pars ubi sedet dolor, etsi nulla fluctuatio deprehendatur, aut ubi haec manifesta sit. Prompte autem apertura fiat, ne tendinum flexorum vagina laedatur, et materies sub cute diffundatur. Haec etiam sit satis ampla, ut materies libere exeat, et iterum partem rescindere non oporteat. Quandoque materies exulcerat cutim, quae per hanc transiliens cuticulam elevat. Tum, inci-

sa cuticula, apertura cutis dilatanda est. In tertia specie ut plurimum secunda, aut tertia digitorum phalanx affligitur. Sollicita essse debet incisio, secus offenduntur tendines, et digitus inutilis evadit; siquidem collecta materies pravae indolis est. Ut plurimum materiei fluctuatio non liquet; sed aliquando percipitur, et saepius prope carpum. Si morbus a punctura nascatur, non solum cutis vulnus ampliandum est, sed etiam tendinis involucrum secandum. Incisio autem aut in carpo, aut in aliqua brachii parte fiat, ubi aut saevus dolor torquet, aut accumuletur materies. In quarta specie, incisiones usque ad os instituantur, quae nisi promptae sint, suppuratio accedit, et caries os invadit. Si morbus in prima phalange sedeat, pars digiti anterior secetur; si in secunda, aut tertia, lateralis incisio fiat. Demortua ossis pars est auferenda. Dum tertia phalanx afficitur, Richter arbitratus est, satius esse digitum amputare, quam os extirpare; quoniam rigesceret digitus, nulliqueusui inserviret.

Rheumatismus.

§. 448. Rheumatismus est morbus, cujus nomen a ῥέω seu fluo provenit. Ab acutis doloribus plures artuum juncturas, praecipue majores, pluresque musculos, et eorum expansiones apaneuroticas infestantibus constituitur. Rheumatismi nomen ignotum non fuit veteribus, ut Trallesius, et Hoffmannus arbitrantur, nam apud Trallianum, et Coelium Aurelianum invenitur. Generatim vero veteres sub arthritidis, et podagrae nomine omnes artuum, totiusque corporis dolores complectebantur, quos a materiei sanguineae, biliosae, pituitosae, atrabilaris fluxione proficisci putabant. Ante Sydenhamium dolores podagrici, scorbuto, aliisque morbis supervenientes, appellabantur rheumatismi; sed is primus fuit, qui rheumatismum a caeteris morbis diversas indolis accuratius distinxit, qui prius confundebantur.

§. 449. Dividitur rheumatismus in acutum, et chronicum. Primus ad inflammationem pertinet; nam febrem, dolores, et partium effectarum phlogosin infert; alter doloribus tantum articulorum, vel musculorum stipatus, ut inflammatio habendus non est. Sed quia saepissime rheumatismo acuto succedit, verba de utrisque faciemus. Plerumque rheumatismus acutus lassitudine, rigore, et horrore incipit; cui superveniunt calor; sitis; lingua sicca, albida; inquietudo; anxietas; pulsus durus, plenus, frequens, et alia symptomata, quae comitantur febres. Paullo post lancinantes dolores, modo in uno, modo in altero articulo, sed praecipue in carpis, humeris, genubus suscitantur, saepe migrantes, ac partem postremo affectam aliquantisper rubram, tumidam, molliorem liquentes. Primis morbi diebus febris, et memorata symptomata concurrunt. Febris vero sub vesperas exacerbatur, exasperantur dolores, qui interdum crudeliter saeviunt. Hi vero modo unum, modo plures artus

aggrediuntur, ac musculos, eorumque tractum sequuntur, externo calore, motu, aut pressione aucti. Raro febris ante diem quintam declinat, et interdum ad plures hebdomadas protrahitur. Hac evanescente, remanent saepe dolores, qui aliquando saeviores fiunt. Stomachus non valde laeditur, sed ut plurimum alvus comprimitur. In decursu morbi sudores minus utiles, cruciatus non sublevantes, ex universo corpore emittuntur, si dolentia membra excipiamus, quae arida manent. Urina inter initia varia est; sed dum febris valde remittit, sedimentum lateritium deponit. Si mittatur sanguis, pars ejus rubra crusta coriacea tegitur.

§. 450. Materies rheumatica mobilis est, et vaga; idcirco modo externas, internasque partes, et viscera nobiliora obsidet; modo in aliquem locum confluens ingentes tumores effingit. Observavit Storchius plures tumore rheumatico universali affectos esse, in quibus tertio, vel quarto morbi die tota cutis tendi coepit, albo tumore elevari, acute dolere;

et ipsa facies tumebat. Cum hujusmodi tumor subsideret, alii nascebantur tumores persaepe genua, coxas, aut inguina occupantes. Incassum discutientibus externis remediis, internis diaphoreticis, et diureticis usurpatis, scalpello aperiri debebant, ex quibus serum flavum et viscidum effluebat, quod leni calore potuit inspissari. Idem in aegro tumorem lymphaticum inter scapulas, humanum caput mole excedentem observavit, quo secato novem librae seri flavi et viscidi profluebant. Si materies rheumatica in cerebrum, pulmones, et alia viscera transferatur, lethalia symptomata, et mors ipsa producitur. Sectione cadaverum deprehendimus, aliquando in istis visceribus materiem flavam, viscidam, gelatinosam cumulari. Si a partibus externis ad internas obveniant metastases, evanescit dolor in partibus prius affectis, et symptomata prodeunt materiei rheumaticae translationem indicantia, ut dolor capitis; palpitatio cordis; laboriosa respiratio; tussis; pulsus inaequalis, intermit-

tens; interni dolores; anxietates; quae, redeuntibus ad externa membra cruciatubus, cessant, et pulsus aequalis, et liber iterum evadit.

§. 431. Ut acutus rheumatismus a podagra, syphilide, et scorbuto, cum quibus aliquam similitudinem habet, distinguatur, spectanda sunt quae horum morborum differentiam constituunt. Ut plurimum in rheumatismo acuto dolores gradatim augentur, nec improviso corripiunt, sedem frequenter mutant, simulque plures articulos, et majores infestant; febris persaepe dolores praecedit; ventriculus, ejusque functio non laeditur: sed in podagra dolores inopinate aggrediuntur, et in pollice pedis, vel minoribus manuum, et pedum juncturis haerent; febris sequitur dolores; excruciat ventriculi dolor, ejusque functio pervertitur; saepe circa minores juncturas tophaceae concretiones formantur. In rheumatismo acuto dolores in artuum juncturis, musculis, eorumque expansionibus apaneuroticis sedent, tactuque exasperantur: sed in

syphilide figuntur dolores in mediis, et durissimis ossibus; adsunt symptomata aut antecedentia, aut comitantia, aut subsequentia venereae luis, ut ulcera, bubones, maculae cutis, etc: in scorbuto autem torquent quidem artuum dolores, sed non desunt signa ipsius propria, ut debilitas; gingivae spongiosae, molles, sanguinem profundentes; foetor ex ore emissus; maculae cutis diversis coloris, sed plerumque lividae; pulsus debilis; etc.

§. 452. Chronicus rheumatismus, qui saepe ab acuto praegresso nascitur, fuit a Brown rheumatalgia nuncupatus. Hic morbus a doloribus musculorum, et articulationum constituitur, ab atonia productis. Praeter enim debilitatem universalem, illa fibrarum muscularium, et articulorum praeminet. Quandoque dolores in una, aut in pluribus partibus, et plerumque in juncturis multis musculis circumseptis fixi haerent; quandoque ex una in aliam partem migrant. Ut plurimum febris, et inflammatio desunt, quae si su-

scitentur, nec prima ad synochas, nec altera ad veras inflammationes spectat. Minima vascula in circumeuntes humores non satis reagunt, unde inflammantur, et tumefiunt. Afflictae partes raro intumescunt, et frigidae, aridae, pallidae sunt, flecti nequeunt, nec perspirant, etsi reliquum corpus sudore madeat. Si hae partes moveantur, aut frigori subjiciantur, dolores acerbiores fiunt, qui calore lecti, aut externo allevantur. Interdum inter musculos parvi, duri, et inaequales tumores deprehenduntur, a materiei calcareae congestione producti. Saepe rheumatismus chronicus diu durat, et dum evanescit, partes prius affectas debiles, et sibi obnoxias, accedente caussa etsi levissima, linquit.

§. 453. Apposite animadvertit Cullenius, non semper terminos facile distingui posse, quibus rheumatismus chronicus ab acuto dividitur. Inquit, chronicum considerandum esse adhuc acuti participem, usque dum dolores expedite locum mutant, noctu praecipue exasperan-

tur, febri adjunguntur, et intumescentia, et non exiguus rubor circa articulationes observantur. Cum vero rheumatismus symptomatibus febris, et inflammationis vacat, a debilitate maxime vasorum sangüineorum, fibrarumque musculariumaffectae partis nascatur; laborantia membra non intumescant, et pallida, ac frigida appareant; chronicum esse cognoscitur, et ab acuto distinctum, qui ab universali diathesi inflammatoria nascitur, et in quo arreptae partes inflammatae, et tumefactae videntur.

§. 454. Ex historia foenomenorum acuti rheumatismi liquet, haec ab aucto incitamento nasci, et in partibus ubi praevalet phlogistica diathesis inflammationem evolvi. Haec igitur inflammatio vel universalis, vel partialis est, prout phlogistica diathesis vel in musculis, et articulis universi corporis, vel in musculis, tendinibus, ligamentis externarum, aut internarum partium praeminet. Cum autem rheumatismus acutus varias aggredatur partes, va-

riumque intensitatis gradum habeat, diversa obtinet nomina. Dicitur universalis cum musculos, et articulos totius corporis afficiat; febris sit vehemens; aegri ob universales dolores immobiles reddantur. Dicitur rheumatismus acutus capitis, cum praecipue musculos temporalem, occipitalem, et galeam apaneuroticam deprehendat. Saepe tam ferox est, ut praeter acerbissimos cruciatus, convulsiones, spasmos, et mortem ipsam adducat. Rheumatismus acutus colli appellatur mitior, si tantum musculos; gravior, si ligamenta, et vertebrarum periostium corripiat. Rheumatismus acutus pectoris musculos praecipue intercostales arripit, et vulgo spuria pleuritis nuncupatur. Ille abdominis praesertim musculos rectos, et obliquos lacessit, ac peritonitis muscularis anterior nominatur. Interdum in parte dolente purus, et circumscriptus tumor efformatur, ut plus semel in nosocomio S. Spiritus mihi contigit observare. Aeger ad minuendos dolores libenter flecti-

tur antrorsum, cruribusque retractis decumbit. Rheumatismus acutus dorsi aut in musculis, aut in ligamentis vertebrarum considit. Si in musculis, dicitur ab Hippocrate lib. 2. et 3. de morbis pleuritis ad dorsum. Febris est vehemens, urget dolor ad dorsum, impossibilis est erecta corporis positio. Graviora sunt symptomata, si prope spinalem medullam permeat morbus, inter quae ab ipso Hippocrate suspiria, difficilis respiratio, sputa cruenta adnumerantur. Rheumatismus acutus lumborum pervadit lumbos, et peritonitis muscularis posterior, aut inflammatio musculorum psoae, et iliaci interni vocatur. Sic dicitur rheumatismus acutus humeri, coxae, extremitatum, si in hisce partibus figatur. Ille coxae ischias rheumaticum, aut febricosum nominatur. Si rheumatismus acutus adoriatur internas partes, et viscera muscularem structuram habentia, ut est lingua, diaphragma, cor, aut ex membranis, et fibris muscularibus composita, ut sunt intestina, vesica urina-

ria, dicitur internus. Quaecumque autem sit hujusce morbi species, tam veteres, quam recentiores conveniunt, inflammatoriam aegritudinem constituere, quae inflammationis easdem caussas habet, eamdemque curationem postulat.

§. 455. Si rheumatismus acutus est inflammatio articulorum, musculorum, eorumque expansionum apaneuroticarum, tendinum, ligamentorum, ejus caussa proxima in diathesi inflammatoria locari debet. Ad hunc morbum disponunt aetas, temperies, anni tempus, vitae genus, quaedam consuetudines. In qualibet aetate explicari potest rheumatismus, sed magis in provecta, quam in juvenili. Temperies sanguinea ut ad alias inflammationes, sic ad acutum rheumatismum disponit. Ob frequentes temperaturae vicissitudines tempore verno, et autumnali magis familiaris est hic morbus, qui etiam reliquis anni temporibus advenit, si repentinae frigoris, et caloris variationes contingant. Qui lauto victu utuntur; qui ad aliquam artem tractan-

dam aëris mutationibus exponuntur; qui nimiis vestibus corpus obtegunt; qui atmospherae vicissitudinibus non satis assuescunt, acuto rheumatismo frequentius subjiciuntur. Caussae occasionales plurimae sunt, ut perspiratio cohibita; subita refrigeratio corporis calefacti, aut ex adverso subita calefactio perfrigerati corporis; aër frigidus, et humidus; ventorum septemtrionalium, et orientalium spiramentum; animi pathemata, quae aut motum circulationis augent, ut ira, aut perspirationem coercent, ut moeror, terror; praepostera febrium intermittentium profligatio; habitualis excretio sudoris manuum, axillarum, pedum incaute praepedita; menstruorum, et haemorrhoidum fluxus retentus; fonticuli, et ulcera improvide exsiccata. Caussa vero omnium frequentissima est caloris et frigoris subitanea vicissitudo. Calor enim, et frigus agunt praecipue in articulorum vasa, minus, quam reliqua, cellulari obducta, unde facile inflammatio progignitur.

Digitized by Google

§. 456. Rheumatismi chronici proxima caussa est vasorum sanguineorum, fibrarumque muscularium atonia. Hic morbus saepe acutum rheumatismum consequitur, potissimum si antiphlogistica methodus nimis extendatur. Senes et debiles frequentius, raro juvenes, et robusti ab eo corripiuntur. Plures vero sunt caussae debilitantes, quae huic rheumatismo ansam praebent, ut continuatum frigus; humiditas; pravus victus, parumque nutriens; vita deses; nimium profusi sudores. Crebro chronicus rheumatismus aliis morbis ab atonia genitis conjungitur, ut sunt intermittentes prervicaces; scorbutus; venerea lues.

§. 457. Si in acutum rheumatismum recta, et matura usurpetur medela, feliciter plerumque resolvitur. Si vero universalis sit, aut ab aliqua externa parte in internas, et in nobilia viscera transiliat, incassum efficacioribus remediis adhibitis, lethalis esse potest. Plures exitus habere solet, scilicet resolutionem, suppurationem, effusionem serosam, aut

gelatinosam, hydropem acutum, rigiditatem, anchylosin, atrophiam, paralysin, gangraenam, chronicum rheumatismum. Acutus rheumatismus belle curatus non raro post paucos dies evanescit; sed ille extremitatum magis curationi resistit, et saepe ad plures hebdomadas producitur. Generatim resolutio per sudorem, urinam copiosam, sedimentum lateritium, aut furfuraceum relinquentem, diarrhoeam, haemorrhagiam narium, aliarumque partium, eruptionem cutaneam obtinetur. Suppuratio rara oppido est; sed interdum evenit, ut autopsiae cadaverum ostendunt. Immerito igitur quidam scriptores tradiderunt, nunquam acutum rheumatismum suppuratione terminari, ideoque ab aliis inflammationibus differre, quibus suppuratio communis est. Credidit Boerhaavius, hunc in suppurationem non abire, quia caussa proxima est inflammatio non tam saeva, ut patet ex aph. 1493. Hujusmodi vero opinio minime arridet; nam aliquando inflammationes leves suppuratione finiuntur. Si rheumatismus a-

cutus vehemens sit, saepe serosa, aut gelatinosa effusio sequitur, unde dolores intolerabiles expergefiunt. In nosocomio S.Spiritus juvenem decem et octo annorum acuto rheumatismo ad summum humeri correptum curavimus, qui ob immensi doloris tormenta continuo ejulans, diu noctuque insomnis, caput volutans, desperationis imaginem objiciebat. Affecta pars rubra, tumens, et adeo dolens, ut tactum, etsi levissimum, ferre non posset. Post tertiam morbi diem, nullo a remediis concesso levamine, inter spasmos, convulsiones, deliria effudit vitam. Sectione cadaveris inter tegumenta et musculos abundantem serosum liquorem reperiri; et resecato humeri capsulare ligamento, sexdecim circiter unciae materiei gelatinosae, et subrufae eruperunt, quod commemoratu dignissimum videtur. Aliquando ex partibus acuto rheumatismo affectis exudat serum, et in variis locis, ut in articulorum cavitatibus, inter musculos thoracis et pleuram, inter musculos abdominis et peritonaeum acu-

Digitized by Google

tus hydrops constituitur. Aliquando partes rigidae fiunt, ubi scilicet materies vel in textu celluloso, vel in musculorum vaginis collecta solidescit. Si vero lympha coagulabilis in articulorum cavitatibus secernatur, easque impleat, efformantur pseudo-membranae, et ligamentorum cohaesiones, unde articulationum rigiditas, seu anchylosis. Si rigidae partes ob laesam vasorum sanguineorum, nervorumque actionem extenuentur, vel sensu, vel motu, vel utrisque priventur, atrophia partialis, aut partialis paralysis succedit. Gangraenae post rheumatismum acutum rarissima adinveniuntur exempla. Saepe vero hunc chronicus rheumatismus excipit, qui saepe morbus pertinax est, interdum insanabilis, raro periculosus.

§ 458. Quandoquidem rheumatismus minus saepe ad exitium ducat, observationes cadaverum paucae sunt. Tamen ex istis colligimus, ab acuto rheumatismo easdem fere organicas alterationes ac a reliquis inflammationibus produci, nimirum abscessus; collectiones seri, lym-

phae coagulabilis, materiei gelatinosae; concretiones partium; substantiae muscularis, et textus cellulosi in materiam adipo-ceream conversiones; in articulationibus pseudo-membranas, cohaesiones; et aliquando gangraenae vestigia.

§. 459. Pro acuto rheumatismo nil est inter initia, quam sanguinis imminutio conducibilius. Quantitas vero detrahendi sanguinis ab observatione symptomatum, aetatis virium, et temperamenti aegrotantis pendeat. Si enim aetas sit juvenilis; temperies robusta et sanguinea; vehemens vasorum actio; ingens calor; dolores acerbissimi; et facta venae sectione, pulsus durus, plenus, frequens, et sanguis crusta phlogistica tegatur, iteranda est generalis sanguinis missio. Mox circa affectas partes hirudines, aut cucurbitulae scarificantes juvant. Si vero temperamentum sit debile; febris non vehemens; inflammatio potius localis, quam universalis; dolores mites; sufficit hirudinum applicatio. Cavendum est a nimium iteratis sanguinis missionibus, ex quibus

debilitantur vires, et ad chronicum rheumatismum inducitur dispositio. Si alvus sit adstricta, lenia, et antiphlogistica purgantia, et clysteres conveniunt. Porrigantur potiones diluentes, nitratae, quae perspirationi faveant. Temperies ambientis aëris esto modica; et positio affectae partis conveniens, et commoda. Laudantur a quibusdam topica remedia, ut resolventia cataplasmata; appositio linteorum aqua frigida madidorum, solutionis nitratis ammoniacae, et nitratis potassae; gutta aquae frigidae, ab Antonio Cocchi adhibita: sed satius est hisce non uti, ut Hoffmannus, et Joseph Franchius suadent; nam frequentius damnum, quam utilitatem afferunt. Cum apto regimine temperata sit phlogistica diathesis, ac resolutio morbi per sudorem expectanda, diaphoreticis locus est, inter quae tartras stibii, et potassae praeminet. Cavendum est a fortioribus diaphoreticis, ut a pulvere Doweri, liquore acetatis ammoniae, camphora, usque dum febris vigeat. Praeposita antiphlogistica metho-

do, si dolor in aliqua parte fixus haereat, sinapismi, aut vesicatorii applicatio utilis esse potest. Praeterea lenia diuretica, ut decoctiones radicis ononidis spinosae, aut apii petroselini cum nitrate potassae conducere queunt, maxime si morbus ad resolutionem tendat per urinam. Nunquam in initio, et in decursu acuti rheumatismi, cum sanguinis missio, et evacuantia expediant; ad mitigandam dolorum saevitiem paregorica sunt exhibenda, ut Sydenahamius sect. 6. pag. 56. ita docet = Quamobrem ut saeviat dolor, per omnem hujus morbi decursum, religiose mihi ab his temperandum existimo, modo mihi animo sit curationem a sanguinis missione solum petere, cum illorum usu figatur morbus, neque tam facile venae sectioni cedat, quae ideo ob haec ipsa medicamenta officiose nimis exhibita, saepius quam erat opus, celebranda est. = Narcotica igitur, et ex opio composita porrigenda non sunt, nisi in morbi fine, cum, expugnata inflammatoria diathesi, dolores adhuc torquent,

et abstrahunt quietem. Id etiam de corticis peruviani usu dicendum est, quem Fordyce, Fothergill, Haygarth, Saunders, Grainger, aliique recentiores proponunt. Hoc enim remedium, penitus subacto inflammatorio stadio, si periodicas exacerbationes et remissiones morbus subeat, lingua sit humida, madida cutis, urina lateritia, prudenter administrari potest. Denique quoad diaetam, reliquumque regimen, eadem praecepta valeant in caeteris morbis inflammatoriis exposita. Convalescentes vero ex acuto rheumatismo ad consuetum vitae genus paullatim se tradant; sed diu vinum, liquores spirituosos, et alimenta nimis stimulantia, et digestu difficilia, vitent, ut Sydenahamius loc. cit. hisce verbis admonet = Quibus rite peractis, ut in pristinum vitae genus, quoad victum, exercitia, atque aërem, pedetentim se recipiat, lubens patior, ita tamen ut neque vinum, neque liquorem spirituosum quemlibet, neque etiam cibos sive sale, sive aromatis

conditos, sive etiam δυσπεπτα quaecumque, nisi diu postea degustare liceat. =

§. 460. Si ab acuto rheumatismo efformari incipiat abscessus, applicentur primum cataplasmata emollientia, ut ad maturitatem perducatur; mox aperiendus est, ne pus in varias corporis cavitates viam sibi comparet, aut sub apaneurosibus inter musculos proserpat, summo quidem aegrotantium discrimine. Si sequatur exudatio interna, aut acutus hydrops, diuretica usurpentur, ut scilla, digitalis purpurea, murias hydrargyri, etc. Si partium, aut articulorum rigiditas, atrophia, paralysis superveniant, leniter affecta pars flecti, et extendi debet. Insuper frictiones simplices, vel cum oleo amygdalarum dulcium, olivarum, et spiritu salis ammoniaci, sebo animali, sapone ammoniacali, et unguento oxydi mercurii grisei, tinctura cantharidum; fasciae; balnea calida, sulphurea; fotus animalis recenter mactati; electricitas; et alia hujusce generis auxiliantur. Si succedat gangraena, locum habent antisepti-

ca, inter quae cortex peruvianus excellit; si chronicus rheumatismus, huic remedia mox exponenda opponantur.

§. 461. Ad chronicum rheumatismum profligandum alimenta, et remedia eligantur, quae atoniam adimunt, partibusque vigorem restituant. Attamen si aegri juvenes sint, et robusti, dolores ferociant, ab applicatione hirudinum, vel cucurbitularum scarificantium circa affectam partem incipiendum est. Sic placantur dolores, et irritatio imminuitur. Ut plurimum vero ad convenientia praesidia confugiendum est, quorum alia interius alia exterius adhiberi debent. Pertinent ad primum genus incitantia, tonica, diaphoretica, anodyna, ut oleum terebinthinae; gummiguaiacum; spiritus salis ammoniaci, cornu cervi; liquor anodynus; laudanum liquidum; camphora; cortex peruvianus; pulvis Dower, ille Iames; opium; hydrargyrus, sed non ad salivationem promovendam; extractum hyosciami, aconiti napelli; et alia similia: ad secundum genus calor externus; frictiones; li-

nimentum volatile; exercitatio; electricitas; rubefacentia; epispastica; olea essentialia calida, quibus afflicta pars illinitur, ut oleum guajaci essentiale, cui adjungi solent aliquot camphorae grana, aut oleum de castoreo; balnea calida, mineralia. Recentiores, si articulationes rigidae fiant, dolores crudeliter excrucient, et motu etiam levissimo exasperentur, musculi contrahantur, et paralysi fere afficiantur, aquae calidae vapores in partes laborantes dirigunt, et faciunt quod hodie balneum vaporis nuncupatur. Victus sit nutriens, aër purus, et aliqua exercitatio aut totius corporis, aut partium, si fieri potest, non omittatur. Nil pro extremitatibus inferioribus utilius est, quam deambulatio, licet aliquantisper incommoda. Totalis exercitationis defectus partium rigiditatem, et torporem inducit. Sedulo frigus, et humiditas evitentur, et corpus, praecipue affectae partes, laneis operimentis tegantur.

Podagra.

§. 462. Podagra in affectione admodum dolorosa circa ossium pedis junctu-ras consistit. Jampridem sub arthritidis nomine designabatur, et ut species hujus morbi considerabatur, licet podagra et arthritis distinctae sint aegritudines, et minime confundendae. Podagra incipiens pedes ferit; inveterata alias partes, aliosque articulos, et eodem tempore varia loca adoritur. Hinc alia obtinuit nomina, ut chiragrae, si manus, gonagrae, si genua corripiat. Hisce vocibus Graeci ad dolorem, et immobilitatem harum partium denotandam utebantur. Plures veteres de hoc morbo loquuti sunt, praecipue Hippocrates, Aretaeus, Coelius Aurelianus, Galenus, Aegineta, Aetius; post autem vetustatis scriptores Vanhelmontius, Fernelius, Sydenhamius, Borhaavius, Hoffmannus, Cullenius, aliique quam plurimi. Ast accuratius omnibus Sydenhami-

us descripsit podagram, qua atrocissime mulctabatur.

§. 463. Quatuor podagrae distinguuntur species, nimirum periodica, sive regularis, atonica, aberrans, retrocedens. Accessio podagrae regularis absque praecedentibus signis nonnunquam aggreditur. Prima enim pollicis pedis junctura inopinanter prius dolere incipit; mox inflammatur. Sed plerumque eam praecedunt torpor, et lassitudo totius corporis; animi dejectio; insolita pedum, et crurum refrigeratio, et in hisce partibus perspirationis suppressio; in universis extremitatibus inferioribus aut stupiditatis, aut pruriginis sensus; inappetentia, nausea, ructus, indigestiones, affectionem ductus alimentaris denotantes; defatigatio, et debilitas quamvis exercitationem sequens; alvus adstricta; urina pallida; et interdum pridie quam accedat podagra, praeternaturalis edendi cupido sollicitat. Persaepe paroxysmus hora secunda, aut tertia post mediam noctem appetit, et ad viginti quatuor horas extenditur. Dolore excita-

tur aeger, frequentius articulationem pollicis pedis, quandoque calcaneum, aut totum pedem divexante. Hic dolor est lancinans, pungens, urens, gravans, vel morsus canis rodentis sensum exprimens. Affectae partes adeo sensiles sunt, ut linteorum pondus, et motum non tolerent. Deinde corripit rigor, horror, per totum corpus, potissimum secus dorsum perceptus, cui molestus calor, sitis, dolor capitis gravans, pulsus frequens, pulsatio, et inflammatio partis arreptae succedunt. Interdum tentatur, et inflammatur uterque pes, ac quilibet motus sine doloris augmento non fertur. Post decimam octavam, aut vigesimam horam mitescit dolor; erumpit universalis sudor; aeger obdormit; et paullo post penitus paroxysmus cessat, levem tumorem, et ruborem affectae partis relinquens. Alii adveniunt paroxysmi, et per plures dies circa vesperam febris, et dolor majori, vel minori vehementia redeunt, multoque mane levantur. Interea paroxysmi evadunt mitiores, donec aut per sudorem, aut per

urinam, aut per alias evacuationes morbus desinat. Sequitur pedis, maxime inter digitos, pruritus vix ferendus cum desquamatione cuticulae. Quandoque primum paroxysmum alii non excipiunt; ac post aliquem diem tumor, et inflammatio pedis è conspectu subripiuntur. Ast per aliquod tempus, advesperascente die, aut noctu, persaepe puncturae sensus cietur, cui succedit torpor. Accedentibus podagrae paroxysmis non semper suscitatur febris; sed dum primitus adventat, si accessio violenta sit, febris, et symptomata perturbationem functionum tubi alimentaris indicantia evolvuntur. Plerumque podagra in initio unicum pedem; sed progressu modo unum, modo alterum, aut utrumque simul; tandem manus, cubitos, et genua invadit. Interdum paroxysmi viginti quatuor horas superant, morasque nectunt; ast non ultra quatuor dies. Tum dolor adeo saevus non est, et aliquod concedit levamen. Si paroxysmi per aliquod tempus sibi quotidie succedant, urinae

pro potionis ratione exigua quantitate redduntur, ac sedimentum rubrum, lateritium, arenosum deponunt; deficit appetitus; alvus adstringitur; membra gravitate laborant; aegri torporem, et frigoris sensum, praecipue in articulationibus percipiunt. Convalescentes a podagra, post primam ejus aggressionem, diu secunda valetudine fruuntur. Saepe enim per tres aut quatuor annos sani vivunt; et interdum, quod raro evenit, per reliquum vitae cursum. Plerumque podagra primum singulis duobus, aut tribus annis remeat; mox ejus aggressiones frequentiores, vehementiores, ac diuturniores fiunt. Subinde intra annum iterum, et tertio corripit; subinde non discedit, nisi aestivo tempore. Sub inveterata podagra juncturae vim, et flexibilitatem amittunt, et tam rigidae evadunt, ut nullum motum peragere queant. Juncturae enim digitorum a nodis, tumoribus, et concretionibus calcareis occupantur. Effunditur ab affectis locis humor initio albus, ex quo, absorptis subtilioribus, et aquosis

partibus, substantia argillosa deponitur, dura, friabilis, et actione acidorum solubilis. Haec autem humoris calcarei effusio non solum in podagrae accessionibus, sed etiam in intervallis obvenit. Quoniam extremitates, potissimum manus, et pedes, praecipua sunt podagrae sedes, major materiei calcareae quantitas hisce in partibus coacervatur. Haec materies in cavitatibus articulationum, circa ligamenta, et in membrana cellulari adinvenitur, quae tam interdum augetur, ut propter proximarum partium distensionem dolores acerbiores excitet, motum tendinum, et articulationum impediat, et perfectam anchylosin pariat. Quandoque cutis distenta rumpitur, et hinc aliqua portio depositae materiei calcareae egreditur. Quandoque efficti tumores in lentam suppurationem abeuntes aperiuntur, et una cum suppurationis materie aliquid concretionum calcarearum abscedit. Semel observavimus tantam fluidi calcarei copiam per spiracula cutis effluere, ut permanentibus concretionibus crura obducerentur.

Digitized by Google

Interdum renum affectiones, et calculi podagrae conjunguntur, quamvis id frequentius inter paroxysmorum intervalla contingat. Homines podagra laborantes pluribus aegritudinibus obnoxii sunt, quae ab erranti humore podagrico proficisci creduntur. Ab hoc enim saepe viscera capitis, pectoris, abdominis obsidentur, unde aut inflammantur, aut ita afficiuntur, ut cephalalgiae, vertigines, paralyses, sopores, animi deliquia, asthma, cholicae, flatus prodeant. Ut plurimum vero alimentaris ductus, et abdominalia viscera corripiuntur, ut a frequentibus ventriculi doloribus; alvo nunc adstricta, nunc fluxa; cholicis; distensionibus; flatibus colligitur. Dum haec podagrici patiuntur, sunt debiles, animo abjecti, tristes, ac in variis corporis partibus dolores, et musculorum contractiones perferunt. Ex hactenus dictis constat discrimen, quod inter podagram, et rheumatismum interest, quamvis interdum hujusmodi morbi non sine difficultate distinguantur. Podagrae dolores minores articulos genera-

Digitized by Google

tim tenent, ibique manent, et dum locum mutant, in respondentem articulum plerumque migrant; partes affectae plus quam in rheumatismo tument, et rubent, praesente ventriculi affectione. Ardua vero est diagnosis, ubi podagra et rheumatismus complicantur; sed haec complicatio detegitur, si aegri praedispositiones; caussae omnes, et symptomata utriusque morbi propria ad examen revocemus.

§. 464. Reliquae podagrae species irregulares sunt. Dicitur atonica, quae affectionem inflammatoriam articulationum ut podagra regularis non infert; sed alias partes, et viscera aggreditur, unde varia nascuntur pathemata. Ventriculus prae caeteris afficitur; hinc ejus acerbus dolor, indigestiones, flatus, appetitus defectus; nausea, vomitus, sensus frigoris in epigastrica regione, aliisque atoniae effectus. Si arripiatur cerebrum, cephalalgia, vertigo, paralysis, apoplexia; si thoracis viscera, palpitatio cordis, animi deliquia, asthma praesto sunt. In singulis hisce casibus aeger est timidus, anxius, et hy-

Digitized by Google

pochondriacae affectionis symptomatibus angitur. Podagra retrocedens vocatur, quae ut regularis articulos in initio invadit; sed tam dolorosa non est, nec ibi perstat, nec sensim decedit; nam subito cessat, et ad aliquam internam partem transfertur. Frequentius ventriculum adoritur, unde dolores, anxietates, nausea, vomitus, et in regione epigastrica frigoris sensus comparent. Si cor appetat, syncope, et palpitatio; si pulmones, inflammatio, asthma; si cerebrum, apoplexia, paralysis, et interdum subita mors consequitur. Dicitur podagra aberrans, quae non articulorum, sed internarum partium inflammationes inducit. Hae cognoscuntur ab iisdem symptomatibus, ao si ab aliis caussis originem haberent. Haec species rarior est.

§. 465. Podagra est ut plurimum haereditarius morbus, qui sine caussa externa manifesta nascitur, et raro ante trigesimum quintum, aut quadragesimum aetatis annum explicatur. Ejus accessus vere, aut hyeme ad finem properante se

produnt. Opinabantur veteres, eam a morbosa materie in corpore abscondita oriri, quae mox in varias partes transvehitur. Variam effinxerunt hujus materiei naturam; eorumque opiniones oppositae sunt, et animalis oeconomiae legibus repugnantes. Iudicabant alii, caussam podagrae esse sanguinis acrimoniam, quae exilissimas arteriarum extremitates quarumdam partium lacessit, ac earum actioni morbosae ansam praebet. Alii pro caussa mucilaginosam humorum degenerationem statuerunt, vel ab alimentis validis, vel a potione productam. Cullenius podagram ab amisso robure systematis, et praecipue quarumdam ejus partium oriri ratus est. Bruno inter morbos astenicos eam adnumeravit, et pro caussa debilitatem systematis, majorem in partibus affectis, ob caussarum actionem in ipsas praecipue agentium, posuit. Putavit Darwinius, nasci podagram ex defectu irritabilitatis, aut ex deficiente irritatione quarumdam partium systematis, unde torpor, et inflammatio producitur. Recentio-

res vero conveniunt, caussam podagrae in humorum collectione intra relaxata ligamentorum, et tendinum articulorum vasa consistere; sed quoad horum humorum naturam discrepant; nam alii eos velut a morbosa secretione productos, alii ut purum sanguinem considerant.

§. 466. Podagrae, quae frequentius homines, raro foeminas, pueros, et eunuchos aggreditur, praedispositi sunt a parentibus podagricis nati; plethorici; valentes; corpore magno, crasso, pleno, ingenti capite, acuto ingenio praediti; ignavi et largioribus cibis enutriti; senes post vitam mollem et delicatam transactam liberalius lautioribus epulis, vino, liquoribus indulgentes, et exercitia, quibus assueverant, relinquentes. Minus laborant podagra, qui continuo se exercent, et herbis, piscibusque vitam sustinent. Idcirco agricolae, qui rusticis operibus insudant, et fere semper cibis vegetabilibus vescuntur, raro podagra conflictantur. Huic etiam raro foeminae obnoxiae sunt. Inquit Hippocrates aph. 29. sect. VI. = Mulier po-

dagra non laborat, nisi ipsi menstrua defecerint. = Haec vero sententia experientiae non respondet; nam podagra mulieres quandoque corripit, etsi menstruis debito tempore, et copia gaudeant. Ait Swietenius §. 1255. = Frequentius hoc contingit, si morbus in familia haereditarius fuerit, rarius, si ab aliis caussis natus. = Observarunt nonnulli, interdum mulieres podagra laborasse, in quibus largius, quam pro more est, menstrua fluebant. Animadvertit Sydenhamius, tantum vetulas, et viragines, habitum masculorum aemulantes plecti podagra: praeterea foeminas graciliores, quae vel in adolescentia, vel constanti aetate hunc morbum perpeti videbantur, aut hystericas, aut rheumatismo obnoxias, et inde non satis curatas fuisse. Pueri ante veneris usum vix corripiuntur podagra, nisi subsit haereditaria labes. Etiam fatui raro podagrici evadunt. Caussae autem podagrae occasionales plures sunt, nimirum cibi animalis, vini, liquorum, veneris abusus; studia nimia; violentae ex-

Digitized by Google

ercitationes; vigiliae diuturniores; vita sedentaria; consuetarum evacuationum defectus; effusae haemorrhagiae, aut aliae exinanitiones; acidorum usus; praeparcus victus vegetabilis, et aquosae potiones; frigus extremitatibus inferioribus admotum; subita pedum sudantium refrigeratio; aër humidus, impurus; deprimentes animi affectus. Ab harum caussarum consideratione constituit Cullenius, podagram esse morbum ab affectione universali systematis ortum, ac duas esse caussarum species. Aliae enim statum plethoricum inducunt, ut victus lautus, nutriens, vinum, liquores, vita ignava, otia, commoditates; aliae, quae in hominibus habitu plethorico donatis debilitatem inferunt.

§. 467. Podagra regularis raro periculosa est; sed alea plena, ubi irregularis, et retrograda. Etenim si caput, cor, pulmones, ventriculus, intestina, vesica urinaria, et alia viscera afficiantur, morbi gravissimi superveniunt. Interdum solvitur podagra febre, sudoribus, urinis, al-

vi fluxibus, haemorrhagiis, ptyalismo, efflorescentiis cutaneis, ulceribus, varibus, vomitu atrae bilis, excretione materiei sabulosae, albae, rubrae, calciformis. Ad perfectam podagrae resolutionem assequendam accuratum vitae regimen valde confert. Aliquando homines sobrii, laboris amantes, omnes morbi caussas fugientes omnino convalescunt. Podagra incipiens medicabilis est; contra inveterata. Facilius in juvenibus, quam in provectioribus levatur. Accessus podagrae redduntur mitiores, si a parentibus non proveniat, si aegri sint juvenes, errores in diaeta non patrent, et alvum facilem habeant. Quo diutius, et crudelius fatigat podagra, eo magis quavis accedente caussa ad recidivam disponit. Recidiva autem promptior est, si a podagrico paroxysmo tumor, torpor, et nodosa durities remaneant. Quo magis vehemens erit dolor, eo citius solvetur paroxysmus; diuturnior, et perfectior erit intermissio; et viceversa. Ubi inveterascit podagra, in singulis accessibus sensim mi-

nuitur dolor, donec potius aegritudo, quam dolor infestet. Si dolor pulsatilis in parte affecta percipiatur, brevi plerumque terminatur morbus, ut animadvertit Boerhaavius. Dolor podagricus post secundam, tertiam, aut quartam hebdomadam aliquando in sensum hebetem, ac torpidum; aliquando in rigorem, et stuporem abit. Si podagrici dolores sine ratione evanescant, maxime timendum est. Tumor circa initia apparens morbum reddit breviorem; circa finem longam intermissionem promittit. Homines sanguinei tumores habent duros, rubicundos; phlegmatici molles, oedematosos, utrinque cum doloris sensu. Intenta podagra interdum convulsionem, et tetanum parit. Si homines senio confectos corripiat, nec adeo saeva est, nec tam praefinitas periodos habet, ac in juvenibus. Qui enervantur vetusta podagra, interdum abscessum, fistulam, inflammationem gangraenodeam perpetiuntur. Hisce vero sublatis, in podagram relabuntur. Podagra ad nucham pessima est. Saepe podagrici hydropici

fiunt. Ast si hydropi recenti superveniat podagra, hunc tollit, ut observavit Baglivius. Raro ab ira solvitur podagra; sed non infrequenter a terrore discutitur, unde nonnulli eam esse morbum imaginationi subjectum contendunt.

§. 468. Sectione cadaverum, plures affectiones morbosas in visceribus, et articulationibus a saeva et inveterata podagra produci, compertum est. Saepe enim in renibus calculi diversae magnitudinis, et coloris; in articulationibus concretiones calcareae inveniuntur, ex quibus illarum rigiditas, et immobilitas proficiscitur. Hjusmodi concretiones ut effectus actionis morbosae localis habentur. Demonstravit Wollaston eas ex acido lithico et soda, scilicet ex lithiate sodae componi. Acidum invenit etiam Pearson, quod potius uricum appellari desiderat. Eodem tempore Fruncroy idem acidum in podagricis concretionibus detexit analysi.

§. 469. Radicalis podagrae curatio adhuc non cognoscitur. Si hujusmodi

morbus, ut videtur, a constitutione, et originali corporis textura ut plurimum dependeat, remediorum actione haec immutari non potest. Solum sperandum est, quod apto regimine constitutio ista corrigatur; morbus tolerabilior, ejusque accessiones minus frequentes fiant. Si podagra non ab haereditaria labe, sed a quadam corporis constitutione, et a prava vivendi ratione ortum habeat, dum illa remediis variari non potest, certis vitae regulis ferocia dolorum, et molestiarum temperari potest, et forsan constitutio ipsa immutari, ut funditus aeger convalescat, quod licet rarissime eveniat, tamen possibile est, ut exempla confirmant. Singula remedia, velut specifica hactenus praedicata, virtute subjugandi podagram carere, certum est.

§. 470. Apud auctores variae extant curandi rationes, et unusquisque propriam commendat. Ante Brown methodus fuit debilitans, in severa diaeta, usu vegetabilium, et refrigerantium praecipue consistens. Hac sola asserebatur, poda-

gram posse subjgi. Experientia vero edocemur, non semper debilitantem methodum utilitatem afferre. Alii victum vegetabilem, lactis usum, regularem et quotidianam exercitationem, moram in locis salubribus, itinera, et quidquid animum exhilarat summopre laudant. Licet haec methodus in quibusdam casibus feliciter succedat, tamen non semper talis est, ut affirmari possit, hanc solam ad curandam podagram expedire. Alii diaetam lacteam, quae graece dicitur γαλακτοποσία laudibus efferunt. Haec componitur è solo lacte, exclusis caeteris omnibus, si panis aliquid excipiatur. Hanc diaetam prae reliquis praesidiis profuisse quamplurimis monet Sydenhamius. Verum necesse est, ut qui huic methodo se tradunt, in hac per totum vitae cursum persistant, secus, etsi ad regularem, et mitem diaetam restituantur, longe pejori podagra corripiuntur. Plurimi autem sunt, qui lactis usum ferre non possunt, ut hypochondriaci, melancholici, biliosi, liquoribus spirituosis assueti, crasso cor-

poris habitu praediti. Quibus hoc alimenti genus congruit, indubium est, quin magnum podagrae remedium sit, quamdiu eo solo vescuntur. Brown, ejusque sectatores, qui in podagra, ut in caeteris morbis dispositionem haereditariam negant, et podagram asthenicum morbum esse putant, solam incitantem rationem ad fugandos ejus paroxysmos, eorumque reversionem amovendam proficuam credunt. Ab his igitur victus lautus, generosum vinum, liquores, cortex peruvianus, fomentationes calidae aromaticae super affectam partem, et laudanum liquidum, et linimentum volatile praescribuntur. Quamvis vero haec remedia utiliter interdum adhibeantur, persaepe podagram longe pejorem reddunt, et conditionem vere inflammatoriam inducunt. Plures ante Brown in ea versati sunt opinione, ut actio caussarum praedisponentium oppugnanda sit. Haec quidem curatio melior esset, si harum caussarum naturam assequi possemus. Alii putarunt in exhibendis specificis curationem consi-

stere, ut sunt pluvis Ducis Portland, alchali dulce, et causticum, aqua calcis, sapones, quaedam terrae absorbentes. Sed experientia horum medicamentorum inefficaciam comprobavit. Si igitur generalis methodus statui non potest, ad curandam podagram variae ejus species, variae caussae remotae, variique casus distinguendi sunt. Quamobrem si podagra sit periodica, ut plurimum nocet sanguinis missio; sed interdum parti affectae hirudinum applicatio utilis est. Nonnulli sunt, inter quos Heberdenius, qui sanguinis missionem necessariam ducunt, cum inflammatio sit vehemens, atrocesque dolores. Ast venae sectio nisi summa prudentia institui non potest; nam saepe podagra in hominibus intemperantia, et abusu veneris fractis evolvitur. Tutior est hirudinum appositio, licet haec etiam caute fiat. Ut enim in juvenibus valentibus plethoricis opportuna, sic in debilibus, et senibus nocua est. Partes inflammatione affectae lanula involvantur, ut moderate calidae serventur. Nunquam turbetur a-

nimi quies; et sedulo quaevis irritatio amoveatur. Animali victu, et spirituosis liquoribus praecipiatur abstinentia, maxime si aeger juvenis sit, et plethoricus. Si vero aetate proveetus, et animalibus alimentis, generoso vino, et liquoribus assuetus, aut ventriculi debilitate laborans, amplior diaeta concedi poterit. Potiones diluentes, et aliquis haustus ex infusione thée porrigatur. Aliquando levibus diaphoreticis sudor est promovendus, posthabitis semper stimulantibus, et aromaticis. Si comprimatur alvus, juvant laxantia lenia, ut cremor tartari, sal anglicanum, rhabarbarum. Post Sydenhamium a purgantibus clinici abhorrent; siquidem ea detrimentosa judicant. Ast si alvus adstricta sit, et ingens febrilis calor, certe utilia videntur. Si in podagrae accessione aciditas cumuletur in ventriculo, aliquid identidem magnesiae valde prodest. Urgente vero paroxysmo, vitentur emetica, etsi sordes ventriculum oppleant. Interdum ad sedandos dolores ex opio composita conveniunt, magna ca-

uteia adhibenda. Damnosa enim sunt inter paroxysmorum initia, et dum adest aliqua ratio eorum usum impediens. Ea solum permittuntur, cum nulla, aut exigua inflammatio teneat, aut aegri provectae aetatis plures podagricos accessus perpessi sint. Si post paroxysmum tumor, aut rigor in articulationibus remaneat, assidue strigilis adhibenda est. Quaedam ab auctoribus externa remedia in actu paroxysmorum celebrantur, ut balnea frigida, vesicantia, urticatio, ustio cum moxa, aut aliis substantiis urentibus instituta, frictiones cum spiritibus camphoratis. Haec vero non carent periculo; nam alia efficiunt, ut podagra retrocedat, alia, ut inflammatio ex una in aliam partem migret, aut morbus in illa loca transiliat, ubi periculosior est. In intervallis autem fugiantur caussae occasionales; temperanter agatur vita; exulent omnigeni spirituosi liquores; quotidie modica ambulatione, aut equitatione exerceatur corpus, quo robustius evadat, dummodo a frigore declinetur. Pro alvo

compressa conducunt laxantia lenia, ut ex aloe, rhabarbaro, sapone, similibusque composita. Saepe tonica locum habent, ut cortex peruvianus, quassia, ferri praeparationes, sales alchalini, aquae minerales, balnea sulphurea. Victus esto tenuis, et nutriens.

§. 471. Pro podagra atonica, sub qua artus inflammatione non prehenduntur, et signa se exhibent ventriculi, vel alterius partis atoniae, apta sunt auxilia, quae corpus, et praeipue ventriculum roborare valent. In primis ideo omnium caussarum debilitantium fuga, et modica et frequens exercitatio corporis expedit. Cullenius, aliique balneum frigidum proponunt, quod periculosum mihi videtur. Aliquando enim morbus fertur ad artus, nec semper hujusce transitus apparent signa, cui balneum frigidum impedimento foret. Ad roborandum corpus nil melius, quam victus animalis nutriens, et simplex. Vegetabilia igitur, praesertim valde acida adhibenda non sunt. Juvat etiam vinum non acescens; sed si vinum

ventriculi aciditatem augeat, supplere potest ardenti spiritu multa aqua diluto, sed sine saccharo, et succo mali medici. Ad confirmandas ventriculi vires prosunt amara, tonica, aromatica, chalybeata. Inter amara cortex peruvianus; nam alia longo usu ventriculum ipsum infirmant. Id etiam faciunt aromatica, si nimia sint, aut diu continuentur. Chalybeata vero sine damni timore dari possunt. Pridem in hac podagrae specie usitatissima erat pulvis Portland ex amaris vegetabilibus composita; sed postquam Cullen, Murray, Darwin, aliique ejus damna demonstrarunt, omnino obsolevit. Nostris temporibus aqua medicinalis Husson laudatur, quae in infuso amarorum, et pravi saporis vegetabilium in vino albo hispanico cum opii tinctura consistit. Hoc remedium interdum paroxysmorum violentiam mitigat; sed interdum mala producit effecta, ut sunt sudores frigidi, syncope, virium destitutio, insensilitas, debilitas pulsus, vomitus, alvi fluxus; licet haec nimiae re-

medii quantitati tribuantur. Si prodeant dyspepsiae signa, plures conveniunt cum Cullenio levissima emetica expedire. Pro alvo adstricta dentur mitissima laxantia, non ad purgandum, sed ad eam aperiendam idonea. Si ventriculi aciditas, ardor, et flatus fatigent, non omittantur absorbentia. Si dyspnoea, vel asthma superveniant, opium, ether sulphuricus, et alia stimulantia conferunt; ut vinum, assa foetida, camphora, moschus, et eodem tempore fotus sicci cum pannis calidis, aut humidi, frictiones cum spiritu vini, aut linimento volatili super regionem epigastricam si ventriculus, et intestina afficiantur. Etiam pedibus calidi lateres applicari possunt. Podagra atonica vehementer adoriente, praecipiuntur vesicantia, et cauteria extremitatibus inferioribus, sinapismata, pediluvia, maxime si caput tentetur morbo. Vesicantia vero admovenda non sunt, si extremitates inferiores dolere incipiant. Hac podagrae specie laborantes evitent frigus, insensibilem perspirationem promoveant,

et hiemali tempore in calidas regiones transferantur, aut diligenter vestibus laneis defendantur a frigore.

§ 472. In instituenda podagrae retrogradae cura, observandum est, quae pars praecipue affligatur. Cum morbus caput impetat, et dolorem, vertiginem, apoplexiam, paralysin adsciscat, remedia sunt vesicantia capiti, et extremitatibus inferioribus, sinapismata pedibus, frictiones crurum cum pulvere sinapis, alchali volatile, ether sulphuricus, et eccoprotica. Si corripiantur pulmones, et concitetur asthma, opiatis, antispasmodicis, vesicantibus, brachiis, dorso, pectori, sinapismis pedibus applicitis succurrendum est. Si vero immineat suffocationis periculum, aut vehementer arripiatur caput, venae sectio linquenda non est. Si prehendatur ventriculus, ut plurimum generosum vinum, aromata, spiritus cornu cervi succinatus, assa foetida, alchali volatile, moschus, opiata in usum venire solent. Si afficiantur renes, et morbus affectionem calculosam simulet, calidi fotus su-

per dolentem partem, potiones tepidae diluentes, clysteres emollientes, et ubi dolores saevissimi excruciant, opiata levamen afferunt.

§. 473. Cum podagra aberrans partes internas invadat, easque inflammet, venae sectio, et reliqua praesidia idiopathicae harum partium inflammationi idonea, usurpanda sunt. Idcirco si ab hac podagra pulmones, renes, vesica urinaria, aut alia viscera inflammantur, curatio non differt ab illa, quae pro inflammatione horum viscerum ab aliis caussis nata convenit. Sed haec quidem hactenus.

FINIS TOMI SECUNDI

INDEX

CLASSIS II. *Inflammationes*
Generalia de inflammationibus pag. 3
ORDO I. *Inflammationes capitis*
GENUS I. *Encephalitis* 89
GENUS II. *Ophthalmitis* 119
GENUS III. *Otitis* 184
GENUS IV. *Coryza* 188
ORDO II. *Inflammationes jugulares*
GENUS I. *Glossitis* 192
GENUS II. *Angina* 194
ORDO III. *Inflammationes pectorales*
GENUS I. *Peripneumonia, Pleuritis* 223
GENUS II. *Carditis* 251
GENUS III. *Diaphragmitis* 264
ORDO IV. *Inflammationes abdominales*
GENUS I. *Peritonitis* 269
GENUS II. *Gastritis* 278
GENUS III. *Enteritis* 289
GENUS IV. *Mesenteritis* 304
GENUS V. *Epiploitis* 305
GENUS VI. *Pancreatitis* 307

GENUS VII. *Hepatitis* 308
GENUS VIII. *Splenitis* 331
GENUS IX. *Nephritis* 335
GENUS X. *Cystitis* 350
GENUS XI. *Metritis seu Hysteritis* 357
GENUS XII. *Psoitis* 367
ORDO V. *Inflammationes extremitatum*
GENUS I. *Paronychia* 371
GENUS II. *Rheumatismus* 378
GENUS III. *Podagra* 401

NIHIL OBSTAT

Fr. Carolus Thill August. Cens. Theol.

NIHIL OBSTAT

Carolus Porta Med. Colleg. Revisor Dep.

IMPRIMATUR

Fr. Dom. Buttaoni M. S. P. S.

IMPRIMATUR

J. Della Porta Patr. Constant. Vicesg.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google